





5  
DE DIVERSIS 1786 7  
**IMPERII ROSSICI**  
**ORDINIBVS**

EORVMQVE  
IVRIBVS ATQVE OBLIGATIONIBVS

NEC NON  
DE DIVERSIS FORIS COMPETENTIBVS

R. 175  
DISSE R T A T I O

QVAM PRO OBTINENDO  
**DOCTORATV IVRIDICO**

EXHIBVIT  
**IOHANNES PVRGOLD**  
MAGDEBVRGICVS.



HALAE,  
EX OFFICINA GEBÄVERIANA  
CIDIICCLXXXVI.

DE DIVERSIS

IMPERIIS ROSSICIS

ORDINIBVS

MAXIMVS

LIBERAS ATQVE OMNIVORAS

MDC MON

DE DIVERSIS FORMIS COMESTIBILIBVS



DIVERSITATIS

GAVI TSO GETINNEDO

DOCTORATA IARIDICO

MAXIMA

JOHANNES PARGO

MICROGRAPHICA



HALAE

EZ QDCCIA ADOVATVANIA  
CIOCCOCIO



D E  
DIVERSIS IMPERII ROSSICI ORDINIBVS,  
EORVM IVRIBVS ATQVE OBLIGATIONI-  
BVS, NEC NON DE DIVERSIS FORIS  
COMPETENTIBVS.

INTRODUCTIO.

Veterum historia multis exemplis nos edocet, gentium res breui ad summum potentiae culmen peruenisse, quam artium tam ciuilium quam bellicarum curam adhucdum gererent ephesi, nec gentes quicquam agerent, nisi quod ad eorum emolumentum conferret, hincque modo ad id promouendum omnes animi vires intenderent. Omne Imperiorum aequilibrium tunc temporis incognitum erat. Euenit inde, vt Princeps eximio ingenio praeditus gloriaeque cupidus, quaeunque ipsi placeret, apud finitimos fecuros rerumque rudes facilime assequi potuerit. Nostris autem temporibus haec omnino abolita sunt. Cum enim omnes, qui summis rebus praesunt, tum communi, tum priuata cura, aliarum nationum, quae Europae systemati addicta sunt, quibusquis agendi rationibus inuigilent, easdem ad amissim explorent, num hue, num illuc momentum parulum inclinet, quamprimum metuant, ne quis

scrupulum modo praeualeat, mox omni opera eo  
allaborant, vt ipsum variis impedimentis impli-  
cando, litteris obiurgando, foedera opposita in-  
eundo, bellum inferendo coniunctis viribus aggre-  
diantur. Cum itaque tantis viriculis Imperiorum  
hodie frena contineantur, nonne Rossorum incre-  
menta qui perpendit summa admiratione abripitur? Nihil Europa pendebat Rossicam gentem se-  
culo antecedente, quae vix ab exteris Principi-  
bus Europae populis annumerabatur, ast nostro  
nunc seculo omnibus finitimi nationibus leges  
praescribere audet. Eos itaque, qui recentio-  
rem huius Imperii historiam legunt, admiratione  
obstupescere, necesse est Iwan Basilowitsch II.  
Imperii Rossici primus proprio fundator censem-  
sus mihi videtur, quem non modo minores Prin-  
cipes intra suos fines, sed et Tartaros per plura  
secula Rossis tyrannorum more imperantes sub  
suam redegerit potestatem. Rebus tali modo ge-  
stis Imperii primatum sibi soli vindicauit, et fa-  
tus est tyranus; nec mirum. Semper enim dif-  
ficile est primo conditori inter monarchicum im-  
perium, quod legibus et despoticum, quod vo-  
luntate gubernatur iustos obseruare fines. Nam  
Petrus magnus, solus hoc nomine dignus, si un-  
quam quis illo condecorari potuerit, Petrus, in-  
quam, ruidem sibi subditam gentem tali modo re-  
formauit, vt non modo reliquis Europae nationi-  
bus aequiparari, sed et foedera cum iisdem inire  
potuerit. Mox Augustissima Catharina II, quam  
Maximam proclamabit posteritas, Rossorum res  
ex integro ita restituit, vt eas tum apud finitimos,  
tum apud suos ea maiestate eoque splendore, quo  
adhuc caruerant, ad summum adauxerit; unde  
enam, vt in omnibus Europae rebus publicis  
permagna sibi vindicauerit Auctoritatem. Cum  
autem

autem omnes res et commutationes singulares atque eximiae attentionem nostram sciendi que cupiditatem mouere soleant, omnia libenter arripimus, quaecunque ad scientiam nostram amplificandam aut emendandam symbolam suam conferre videntur. Auctor hoc suo opusculo diuersos Imperii Rossici ordines eorumque varia fora exponere tentans, lectorum fauore se non indignum sperat, quia multa hac de re dici possunt, quae vel necessaria sunt, vel utilia, quaeque communibus relationibus de Imperio Rossico fundamento esse possunt. Quid enim prodest, Principis cuiusdam Rossici historiam nosse, iura autem eius et obligationes ignorare? Quodsi autem Rossos ita cognitos habeamus, vt non ignoremus, quomodo incolae ratione iurium et obligationum differant, multo facilius, quidquid hac de gente aut legimus, aut audimus intelligere et dijudicare poterimus. Auctor per longam annorum seriem inter Rossos versatus, linguamque Sclauonicam et Rossicam callens, quum saepius per magnam vastissimi huius Imperii partem sua itinera fecerit, obque varias causas propriaque negotia occasionem haberit, non modo constitutions legesque illius cognoscendi, sed et diuersa iura atque obligationes cuiusvis incolarum ordinis ediscendi, iure quodammodo promittere potest, se hisce auxiliis munitum vera et certa relatarum esse.

## §. 2.

In sex sectiones opusculum dividendum existimauit; quarum prima de Nobilibus agit, ita ut eorum iura et obligationes diuersis temporibus diuersae exponantur, simul et quedam e lege Imperii fundamentali, quae Anno MDCCCLXXXV de Nobilibus in lucem prodiit, excerpta tradit.

Sectio secunda de Clero, tum de secularibus, tum de monachis, de iuribus, obligationibus et foris eorum agit. Instituta quoque scholasque publicas deserbit.

Sectio tertia oppidanorum descriptionem, eorum classes, iura atque obligationes continet; simul et epitomen legis Imperii fundamentalis recentissime de oppidanis latae exhibit.

Sectio quarta de agricolis agit.

- 1) De rusticis liberis, Tartaris, Siberis aliisque populis, qui liberi et modo vectigales sunt.
- 2) De rusticis omnibusque reliquis glebae adscriptis, qui autem non agricultores sunt.

Sectio quinta exterorum, qui in Rossia sedem suam fixere, statum deserbit.

Sectio denique sexta diuersa fora competen-  
tia exponit.

## SECTIO I.

### DE NOBILIBVS.

§. 3.

In vetera Rossorum historia multa incerta atque obscura deprehenduntur; fragmenta quaedam a monachis rossicis historicisque finitimorum populorum reliqua, nobis quidem lucem aliquam sed admodum obscuram de priscis Rossorum rebus accidunt. Qualiacunque autem illa sint, ex eis tamen concludere licet, Nobilium ordinem liberum fuisse, cumque modo praedia et subditos posseditse, multamque potestatem tum in ciuilibus, tum in bellicis rebus gerendis sibi ab omni tempore vindicasse. Ad hanc Nobilium libertatem pro-

probandum veterum quoque relationum fragmenta ab ipsis Rossis relista quodammodo pertinere videntur. In omnibus enim causis, quarum Imperantis decretum memoriae traditum est, semper et conuocationis et concilii Nobilium, qui Boiari appellabantur, mentio fieri solet; quaeque relationes non modo Nobilium libertatem attestantur, sed et simul indicant, eos rerum publicarum gerendarum participes fuisse. Nobiles itaque apud Principes munere Senatorum functos fuisse videotur, sine quorum deliberatione quippe nihil quidquam ponderis decernere atque agere posse existimabant. Haec quoque Nobilium potentia atque dignitas priscis illis temporibus ex ipsa Imperii constitutione, qualis illa tunc temporis erat, facile probari potest. Cum enim ab seculo XI inde regnum ab Imperantibus pro numero filiorum plures in partes diuidi soleret necesse quodammodo erat, ut sequentibus temporibus, variae turbae et ciuilia bella orirentur. Durant adhuc exercitus perpetui. Nobiles cum seruis suis in locum ab Imperante ad contentum designatum omnes congregiebantur. Quum itaque Imperantis omnis copia atque spes in Nobilium sive corumque erga se studio sita esset, quid mirum, si ad eorum favorem sibi conciliandum, multa ipsis priuilegia concederent. A temporibus seculi XIII. vsque ad seculum XVI. Tartaris summa rerum tenentibus, tantum aberat, ut Nobilium iura et priuilegia minuerentur, ut potius augerentur. Quodsi enim Imperantes potentia opibusque destituti sunt, ciues hisce abundare debent: eaque Nobilium potentia non prius diminuta est, quam Iwan Basilowitsch II. legionem militum conscripsisset, qui Rosice Streitzi dicebantur. Germanorum, Franco-Galorum, Hispanorum, Italorum, Brittanorum ce-

terorumque populorum historia ad hanc rem probandam multum confert. Barones enim ut ipsi Nobiles inferiores, priusquam exercitus perpetui constituerentur, maximis et vix credendis privilegiis gauisi sunt, nec prius Imperantes imperium ad unius nutum accomodatum adepti sunt, quam mox dicti exercitus perpetui introducti fuerint. Nobiles Rossios itaque tantis inribus atque priuilegiis vsos fuisse, vel ex ipsis Imperii rossici constitutione, vel etiam ex iis, quae ex eadem constitutione apud alios populos profecta sunt, cum certitudine quadam deduci potest. Primarium priscis illis temporibus officium a Nobilibus obseruandum, erat Militia. Nondum aderant exercitus perpetui, hinc bello quodam exorto, omnes Nobiles se sistere iubebantur, omnesque in unum locum designatum confluabant. Qui opibus praevalebant, seruos suos secum adducebant, reliqui autem ipsi suas legiones formabant. Totus dein exercitus neque mercedem, neque vestitum, neque arma nec cibum accipiebat, quum omnes tum sui tum et suorum curam gerere coacti fuerint. Aestiuo tempore elapso, cessantibus itaque militaribus officiis, omnes domum reuertebantur, ingruente vere ad castra redituri. Aulicis quoque ciuilibusque muneribus iidem Nobiles absque villa mercede praefecti erant; hinc non nisi claris et potentioribus viris gubernatorum dignitas reliquaque munera committebantur. Tributorum aut aliorum onerum nulla fit mentio. Magnis Ducibus enim propria erant funda ac praedia, quumque in hominibus tum militaribus, tum ciuilibus, sustentandis nullos sumptus facerent, praediorum redditus ad castra sustentanda sufficiebant. Supra de magna illa Imperii Rossici diuisione locutus sum. Inde origo multarum Principum familia-

9

miliarum est deducenda, quas hodie *Appanagirte* vocant; quae ab initio autem et sub ipso Tatarorum imperio magna ex parte iuribus territorialibus vtebantur. Huius itaque originis Principes Magnis illis Ducibus non subiecti erant, qui diversis temporibus Ciouiae, Wolodimeri, Moscoviae imperium exercebant, agnoscabant quidem in illis potentiam sua maiorem, cuius tutelae se submitterent, sed illi hos minores Principes Imperantium more nullo modo tractare poterant; cum enim auxilia ab ipsis sperarent, cautius mitiusque cum illis agerent, necesse fuit. Ex his itaque Principibus, quos hodierno nomine *Appanagirte* diximus, quique a Rurica originem trahunt, multae familiae ad nostra usque tempora florent, et si quis effet, qui historiam conscribere vellet, is primae classis Principum Rossicorum, qui hodie florent, originem ab iis familiis deducere posset, queque a Rurico deriuandae et a remotissimis inde temporibus Principes fuerunt.

Inter reliquas Nobilium gentes hisce temporibus idem magnum discrimen erat. Qui potentia diuitiisque excellebant, quique primis munib[us] in republica fungebantur, *Bojari* vocabantur; horum liberis a prima adolescentia omnes sensim honores committebantur. Inferiorum autem Nobilium liberi communis militis officio in Bojarorum legionibus fungebantur. Pacis tempore nulla officia praestabant, dum ex praediis suis, licet minimi valoris, quaecunque necessaria ad vitam sustentandam accipiebant. Quo factum est, ut quaedam familiae in perpetuum primos honores sibi vindicarent, unde et auctoritatem quandam naeti et privilegia, ad quae augenda nunquam occasio defuit, quam reipublicae administrandae participes fuerint. Ad numerum ha-



rum gentium insigne quid prae se ferentium sensim et aliae accesserunt. Si quis enim ex obscura licet familia oriundus meritis praeualebat, se suosque ad Bojarorum classiem referebat. Nobilibus reipublicae administrationem commissam fuisse, supra dictum est, id quod autem non nisi de Nobilibus illustroribus intelligendum, quorum ex numero omnes Bojari eligebantur, quique quodammodo Imperii ordines formabant. Hanc Nobilium conditionem interdum quodammodo commutatam fuisse, prout Imperantes et potentia et ingenii viribus pollebant, facile concludere licet; attamen de magnis commutationibus nunquam certi quid reperimus, ita ut Nobiles hoc in statu usque ad regnum Magni Ducis Iwan Basilovitsch I. permansisse videantur.

## §. 4.

Iwan Basilowitsch itaque omnium primus cum successu Tatarorum potestatem infregit, et primus quoque totum imperium sub suum dominatum redigere, multosque minorum, de quibus supra dictum est, Principum sibi subiicere tentavit. Quod hic autem incepérat, postea nepos eius primus Czar, Iwan Basílowitsch ad finem perduxit. Ab ipso enim Casanos et Astracanos debellatos, priscosque Rofforum Dominos illi subiectos fuisse, quis est, qui ignorat? Adhaec et legiones militum instituit perpetuas, qui Streitzi dicuntur, tum ad corpus suum tutandam, tum ad turbas ciuiles sedandas, omnes adhuc reliquos Principes suae potestati subiecit, totiusque populi imperium sibi soli vindicauit. His gestis orientalium despoticum in suo regno introduxit, quo omnia iura, quae Imperantem inter et Nobiles intercesserant, tollebantur, omnesque sua liber-

tate

II

tate prīabāntur. Iwan itaque et Rex et tyran-nus factus est. Interim tamen dīscrimen illud in-ter Nobiles illustriores et obscuriores permanit. Prīcipes enim in primariam classē collocabā-tūr, quīque dignitate sua atque opibus magnam Au&oritatē sibi vindicabant. Om̄nium vero Nobilium iūra quoad praēdia et subditos nulla re-diminuta sunt; fortunae ipsiē permanerunt, et ratio ipsas collocandi. Ratione militiae n̄l com-mutatum fuit; om̄nes nobiles primo iussu sine omni mercede, sine omni pecunia ad viētū arma-que sibi comparanda ad exercitū proficisci tene-bantur. Nulla præterea tributa soluebant, nul-lis premiebantur oneribus, exceptis quibusdam vestigalibus. Munera aulica nec non ciūlia ad primā Nobilium classē deferebantur. Czar Iwan Orientalium more aulae suae splendorem adaugere cupido, ministeriis aulacē parum hone-stis destinabat Nobiles, veluti muneri ministrandī, aurigandi, currui praeequitandi, cosque dignita-te aulica ornabat. Qui mos, licet postea a Petrō I. abrogatus fuerit, iique modo homines ad haec administranda eligerentur, qui ad ea nati essent, dignitas tamen illa vsque ad Petri III. regnum permasit, qui morem huncce ab Europaeorum ingenio adeo alienum, prorsus a suis alienauit. Hoc in statu Nobiles permanerunt et sub Phedor, illius Czar, de quo mox diximus, filio, vt et sub Bonis Godunon huiusque filio nec non sub Deme-triorum regno agitato, itemque sub primis duo-bus regnantibus, egente Romanow; tertio au-tem huius gentis Czar imperante Phedor Alexie-witsch magnam commutationem expertus est No-bilium ordo; quam rem altius repetamus, ne-cesse est.

§. 5.

## §. 5.

Cuius genti tabulae genealogicae erant, quibus genus, merita in patriam resque gestae vniuersiusque consignabantur. Quae tabulae cum gentium valorem indicarent, posteri iure quodam, vt in honoribus mandandis huius rei ratio haberetur, postulare sibi videbantur. Hae autem postulationes tot excitarunt turbas, vt illius Czar, de quo mox diximus, attentionem mouerent. Re-petitis itaque vicibus mandato publico iussit, vt in quibusvis praefecturis nullo modo ad generis discrimen respiceretur, sed vt posteri illustrioris familiae cuius superiori parerent. Ast omnia haecce mandata incassum dabantur. Duce enim obscuriore loco nato ad exercitum missi, illi, qui ab illustribus familiis ortum ducebant, sub ipso militiam facere recusabant, vnde maximae turbae oriebantur. Quumque idem in aulicis ciuilibusque muneribus eueniret, Czar saepius in magnum discrimen adductus fuit. Exitus omnium turbarum is denique erat, vt Czar Phedor Alexiewitsch mandato publico omnes tabulas genealogicas easque originales sibi tradendas exposceret tanquam ipsas examinaturus cumque communi tabella genealogica nobilium comparaturus; quas autem hoc modo collectas dein omnes publice comburi iussit. Eodem tempore simul et edictum feuerissimum dedit, quo in posterum omne familiarum discrimen tollebatur, quoque se cuius, nulla habita originis ratione omnia munera omnisque honores collatum esse indicabat. Hoc itaque modo Nobiles testimonii sua originis suorumque in patriam meritorum destituti, et cum illis omnis generis differentia omniaque priuilegia ablata fuerunt; idem et Principibus ceterisque claris gentibus contigit, vnde factum;

factum, ut Nobiles inferiores, dum militiam sequabantur et opes et dignitatem sibi compararent, dum via nunc ipsis ad primos honores obeundos patebat. Hac in re interim nil commutatum fuit usque ad regnum Petri I.

§. 6.

Petrus enim, qua erat ingenii sagacitate recentiorum notiones de Nobilitate facile probabat. Omnes ciues infantis nobili iam abortu inde priuilegia quaedam pro officiis, quae ab ipso majoribus quasi obsidibus, exspectantur, concedunt. Quodsi autem expectationem hancce fefellerit, illae praerogatiuae conditionaliter concessae iterum auferri possunt. Nemo adhuc viritatem illum edixerat, quae diuini Petri ingenium diutius latere non potuit; talibus enim priuilegia eorum, qui fortuna nobili origine nascuntur limitibus circumscripsit, vt si quando officiis suis in patriam decessent, nullis quoque praerogatiuis fruerentur, nisi possessione praediorum haereditate obtentorum. Magna inde nouaque profecta sunt; dignitatum enim classes ortae sunt; Nobiles quippe, qui neque manu, neque ingenio patriae officia praestabant, turpissimo nomine *Nedoror* notauit, id quod hominem immaturum designat. Prolem nobilem cum planta comparare solebat, quae quidem nobili semine impregnata, sed marescens cum hortulanii spem fefellerit, ab ipso cura sua indigna censetur, pedibusque eandem conterit. Ut vno verbo dicam, omnem dignitatem omnesque honores virtute metiendos Petrus voluit. In omnibus iniuriis vlciscendis, dignitatis eorum, qui eas passi erant, rationem habendam esse praecepit, omnesque praerogatiuae tum in aula, tum in conuersationibus secundum

dum

dum eiusus dignitatem in dignitatum tabula definiebantur. Nobiles militiam fugientes pro illatis iniuriis nullam satisfactionem accipiebant, sed instar arbustulæ, quæ expectationi non satisfecit, contemtui exponebantur; et ne quidem illam satisfactionem, quæ rusticis secundum leges concedebatur, sperare poterant, quum illi rusticis non essent. Hisce ita disponentis Petrus magnus necessitate coactus fuit. Probe enim perspectum habebat, quam laute Nobiles tyrannorum instar in villis suis vitam agerent. Non fugit illum, ipso ibidem omnibus rebus abundare, quae non modo ad vitae necessitatem, sed et ad eiusdem commoda pertinent. Euenit hinc, ut Nobiles militiae non adsueti, cum munera in republica exigua in copia essent. Hand ignorabat praeterea, plurimos Nobiles, quia opibus dimituisque copiosis instructi, pigritia omnibus cum laete innata studioque libertatis a militia detineri. Cum vero numerosissimis iisque perpetuis exercitibus indigeret classemque naualem constituere in animo haberet, simul et multi ad res ciuiles ordinandas requererentur, vnde omnes duces militum terra marique, vnde potuisset rerum ciuilium administratores desumere, quo auxilio magna sua et singularia facta et incipere et ad finem perducere potuisset, nisi de remedii cogitasset quibus Nobiles laboribus assuefaceret? Illorum itaque pigritia studiumque libertatis ipsi debellandum erat, quem in finem ipso honoribus excitare debebat, quos quisquis Nobilis sibi per militiam comparare poterat; cumque ad eos assequendos tantummodo militiae via pateret, omnes ad ipsam coacti erant.

Non modo autem illas prærogatiwas, quas huiusque ex nascendi fortuna Nobilis sibi sumserant,

rant, propriis autem meritis destituti, extirpandas voluit, sed et vterius adhuc processit. Omnibus enim tum exteris, tum indigenis, quorum maiores licet ignobiles fuerint, si modo inter milites praefecti dignitatem sua virtute affectuti fuerint, Nobilitatem haereditariam in dignitatum classibus cum omnibus privilegiis concessit. Si quis itaque in militia dignitate signiferi potitus fuerat, eo ipso Nobilis erat cum suis posteris. Dignitatum porro ciuilium classes secundum militares ordinavit. Consiliario titulari dignitatem tribuit centurionis. Assessori in collegiis *Majors-Rang*, Consiliario Collegiorum *Obersten-Rang* etc. In honoribus ciuilibus, illi tantummodo, qui dignitate, quae *Majors-Rang* dicitur, induti erant, nobilitate haereditaria fruebantur, illi autem, qui dignitate, quae *Capitains-Lieutenants-Rang* dicitur, aut illi, qui dignitate signiferi ornati erant, ipsi quidem nobiles erant, sed in posteros Nobilitatem propagare non licebat. Nobilitas haereditaria propterea ab ea dignitate, quae *Majors-Rang* dicitur, initium cepisse videtur, ne illi, qui ex scribarum ordine essent, nobilitatem haereditariam plus iusto adipiscerentur; omnia enim munera inferiora hisce scribis cedebantur, vt illi itaque solummodo, qui meritis suis dignitatem, quae *Majors-Rang* dicitur, adepti erant, haereditaria Nobilitate digni existimarentur. Petrus quoque dignitatum titulos ab exteris defumtos in suo regno introduxit, multasque claras familias comitum et baronum titulis ornavit. In superioribus de illis Principibus egi, qui rossiae originis sunt a Rurik derimandae; nunc et de aliis adhuc duabus Principum rossicorum classibus differentum est, quae aliam prorsus trahunt originem. Iam a remotissimis retro temporibus iam ante

Pe-



Petrum I, et eo regnante, saepius fieri solebat, ut integrae Principum familiae, interdum quoque singuli Principes adolescentuli finitimorum populorum, apud quos familia eorum summa rerum tenebat, sponte se Rossis submitterent, quarum quaedam terras possidebant, quae subsequentibus temporibus in Rossorum potestatem peruererunt. Omnes eiusmodi nouitii magnis amplissimisque praediis donabantur, et ita ratione suae originis ad peculiarem classem referri possunt. Ad hunc numerum sine dubio et Chan Crimae accedit, cui Imperatrix prope oppidum Woronesch magna funda magnosque redditus concessit. Nunc et de eorum Principum classe mentio facienda, qui titulis hisce vel ante Petrum, vel eo regnante, vel post eum recentioribus temporibus condecorati sunt. Pertinent huc omnes cateruarum Tataricarum dukes, qui sancto lauacro se tintos esse voluerunt, quique ex mandato in Principum numerum recepti sunt; quae consuetudo cum hodie adhuc vigeat, haecce classis pluribus nouitii accidentibus adaugeri potest, dum omnes Principes, qui dicto modo hancce dignitatem adipiscuntur, ad hanc classem referendi sunt.

Militiam ipsam reuera praestandam Petrus cum tironibus sistendis commutauit. Numerus tironum pro multitudine marium in Guberniis, circulis praediisque conscribebatur, et quisque praedii dominus tirones suos pro numero marium glebae adscriptorum Imperatoris ministris tradere tenebatur, qui ad hos homines accipiendo designati erant, et quidem vestitu rustico visitato, mercede viisque ad unum mensem munitos. Ad ipsa autem bella gerenda nulla pecunia a Nobilibus exigebatur, tirones enim Imperatoris sumtibus, elapo primo mense, vestitum, arma et viatura

victum accipiebant. Ceterum prima Nobilium conditio permanxit, nec quidquam in eadem commutatum fuit vsque ad regnum Catharinae II.

Petrus III. Nobilibus quidem libertatem redidit, qua autem non prius gauisi sunt, quam regnante Catharina II. quae hanc gratiam renouavit, et vt ea vterentur, curauit.

§. 7.

Catharina II. itaque Nobilibus libertatem restituit, illamque quoque confirmauit simulac Imperatrix facta esset. Ab hoc tempore cessat omnis seruitus, terras exteris adire ipsis licet, vitamque agere quo locorum placet, et vt vno verbo dicam, omnibus nunc priuilegiis gaudent, quibus Nobiles ceteris in regnis instructi sunt. Iam ex illo mandato, quod A. MDCCLXXV. in Lucem prodiit a multis oneribus, veluti vectigalibus ex piscatura, balneis ceterisque eiusmodi rebus deliberabantur Nobiles, et hodie nullo amplius tributo, nullisque plane oneribus premuntur, et si se se ab emtione earum mercium, quae ab exteris gentibus vectigalis soluendi conditione importantur, quibusque optime carere possunt, abstineant, nulla plane pecunia ipsis soluenda est. Quamvis in omnibus Rossiae prouincis potus illius fermentati, quem Brandwein vocant, destillatio Imperantis monopolium sit, Nobiles tamen in sui sutorumque rsum tantum sibi parare possunt, quantum illis opus est. Magna olim tributa a fundis vendendis exigebantur, dum et vendor et emtor decem pro centum Imperanti soluere coacti erant; nunc autem ab Imperatrice stabilitum, vt sex modo soluantur, et hoc vnicum onus Nobilium est, hoc loco mihi commemorandum, quum supra Nobiles ab omnibus vectigalibus oneribus-

B

que

que liberos pronunciauerim. Tirones eodem modo, vti id a Petro I. institutum est, sistuntur, quod licet a Nobilibus pro onere habeatur, tamen rem accuratius contemplanti secus videbitur; quis enim maiori iure ciuibus vti potest, nisi res publica ad se defendandam?

Hac Imperatrice in regnum succedente tota Rossia in aliquot modo gubernia diuisa erat. Singulis guberniis praeerat Gubernator, Progubernator, Procurator et nonnulli Assessores, et singulis indefinitus numerus prouinciarum et circulorum erat; oppido Prouinciae Waiewoga Assessor et procurator praefidebat, oppido vero Circuli Woiewoda tantum nec non Assessor. Hodie vero totum Imperium ita diuisum est, vt numerum quinquaginta guberniorum excedat; in quavis vrbe gubernii in diuersis collegiis praesident plus quam octuaginta viri ab Imperatrice designati. Singulis Guberniis aut decem aut quindecim subiecta sunt oppida Circulorum, et in quouis oppido duodecim viri ad res ciuiles administrandas sedem habent. In numero veterum guberniorum quorum fines longe lateque extendebarunt, Moscouiae Gubernium, exempli gratia invenimus, cui sexaginta circiter oppida et prouincialia et Circulorum subiecta erant, quibus in oppidis omnibus non nisi centum et quinquaginta viri ab Imperante ad iustitiam et disciplinam publicam administrandam designati erant. Hoc gubernium in octo hodie diuisum est, in quibus nonaginta fere oppida circulorum, et in collegiis oppidorum guberniorum nec non in collegiis circulorum mille fere et sexcenti viri iustitiam exercent; in vnico itaque hoc gubernio Moscouiae sedes iustitiae publicaeque disciplinae exercendae numero auctas sunt millium quadringentorum et quin-

quinquaginta. Omnibus vero eiusdem dignitatibus induuntur Nobiles, et quisquis homo civilis pro stipendio accipit ducentos et quinquaginta Rublos, quae summa pro vario dignitatis aut muneris gradu ad millia Rublorum et ad maiorem adhuc numerum adaugetur. Quis ex his non videt, quantis Imperatrix praefidiis Nobiles praeципue pauperiores muniuerit, quibus ad honores pervenire licet, ut vitam honeste agere possint! \*

Liuonia omnesque prouinciae Suecic armorum vi ademtae, antea propriis iuribus i. e. iure romano Suecorumque constitutionibus vtebantur; Dominis praediorum ius erat feudale. Cum autem Imperatrix, vt in omnibus suo Imperio subiectis prouinciis eodem modo exerceatur iustitia, desideraret, et in his prouinciis guberniorum constitutiones quoad formalia introductae sunt. Praedia, quae antea feudalia fuerant in allodialia commutabantur, et Nobiles nunc paribus iuribus cum Rofficiis fruuntur. Eodem modo et Verania constitutiones mutatae sunt, exceptis quibusdam veteribus iuribus, ita vt in parem conditionem haecce prouincia cum reliquo Imperio redacta sit.

Ex modo dictis fatis superque elucet, quanta commoda Nobiles sub glorioso huius Imperatricis regno adepti sint. Libertatem recuperarunt, omnia seruitutis signa funditus sunt sublata, ab omnibus oneribus liberantur, honores lucrofaque munera tanquam auxilia illis conferuntur, quibus res domesticas quam maxime emendare vitamque commodam et honestam agere queunt. Et militares functiones numero adaugatae sunt. Excepta enim Cosacorum reformatione, qua illi in legiones perpetuas redacti sunt, quaque Nobiles illis tanquam duces praeficiuntur, etiam reliquus ex-

ercitus nouis Legionibus accendentibus maius incrementum cepit; ipso enim hoc anno iam quadriginta legiones peditum ipsi accesserunt, quem numerum mox viginti millia equitum, vt id iam publicatum est, adangebunt.

Omnia haec luce clarius demonstrant, quantum Imperatrici hic primus Ordo Imperii sui vastissimi curae cordique sit, quantaque opera illa prospiciat, vt illius dignitatem atque splendorem adaugeat, ad quod probandum lex Imperii fundamentalis de Nobilibus hoc anno in lucem edita quam maxime pertinere mihi videtur. Hac in lege fundamentali non solum confirmauit omnia iura et priuilegia iam antea concessa, sed etiam multis nouis eadem adauxit, quae de liberalitate Legislatricis et animi magnitudine testantur. Omnis sine dubio hac lege persuadetur, Imperatricem omnis non modo tyrannidis infensissimam esse hostem, sed et id semper agere, vt hocce Imperii genus ex omnibus suis terris exterminetur, vtque potius Imperium introducatur, quod monarchicum quidem, sed secundum leges leniter exercetur. Materia copiosissima est, omnia accuratissime exponuntur, cum vero eiusdem obseratio obsequiumque nunquam mutandum in sempiternum iuretur atque fanciatur, cumque eadem veram Nobilium conditionem et praesentem et futuram nobis ante oculos ponat, operae pretium mihi videtur, epitomen capitum huius legis exhibere.

#### §. 8.

Introductio huius legis laudes Nobilibus ab Imperatrice pro meritis eorum in patriam exhibitas continet. Eximia orationis sublimitate eorum virtutes toti orbi terrarum enarrat, fateturque eorum auxilio Rossiam ad id magnitudinis, splendoris,

doris, potentiae atque diuitiarum culmen peruenisse, quo hodie nunc conspicitur. Cum itaque respublica nunc tanta fruatur felicitate et ob hanc rem a gratis publice agendis diutius abstinere nequeat, hac lege perpetuo duratura ea priuilegia atque iura Nobilibus se concessuram esse dicit, quae sequuntur.

A) de Nobilium iuribus.

Cum Nobilitas ex virtute nascatur, nemini nisi viris de patria bene meritis conuenit; eandem haereditariam esse, omnique Nobili et in uxorem et liberos eam propagare iussum est. Nobilitatem nemini adimere volumus, nisi illi, qui delicta commiserit, quae aut dedecore aut corporis poenis digna sunt; quod cum accidit, a nemine nisi a collega suo Nobilis puniendus; iudicium senatus examinis causa conferendum, et immediate Imperatrici ad confirmandum exhibendum est.

Si virgo nobilis ignobilis vel ipsi glebae adscripto nupserit, eam ob rem neque nobilitate, neque eius iuribus priuanda est. Ad hoc iustificandum diuina legatrix his argumentis vtitur: „Nobilitas non nisi grauibus delictis amitti potest, cum vero matrimonium non solum nullum crimen sit, verum etiam hoc proprium habeat, vt a honestate non disiunctum sit reipublicaeque inferuiat, poenis affici nequit; vt vero a virgine nobili, cum hoc eueniat, in maritum, aut in liberos propagetur Nobilitas non conceditur.“ Hac de re pauca mihi afferenda sunt, quo indicem, quanta hac ex lege nobilibus pauperioribus surrexerit utilitas. Legibus iubentibus nemo nisi Nobilis praedia, funda, glebaeque adscriptos possidere potest; cum igitur interdum accideret, vt virgo

nobilis opibus destituta, quaeque nil a fortuna accepit praeter exiguum seruorum numerum et paululum agri, marito ex ordine scribarum aut oppidanorum opibus pollenti nupserit, nobilitatis priuilegiis priuabatur, virique ordinis inscribebatur, quo factō intra sex menses et serui et agri vendendi erant, quod ni fieret, cognati sine vila solutione, si vellent, omnibus rebus potiebantur. Si eadem virgo glebae adscripto nuberet, eo ipso in eandem conditionem redacta erat, nec rarius fieri solebat, vt diues praediorum administrator, sed glebae adscriptus, virginem nobilem in uxorem duceret. Hoc itaque legis articulo quaevis nobilis, si etiam infimo nupserit, Nobilitatem haud amittit, neque possessione agrorum aut seruorum priuatur; cum vero merita nobilitatem ornent, unus ex filiis ea adepta post matris mortem et agros et seruos legitime possidere, suasque opes liberis haereditate tradere potest.

Omnes poenas corporis a Nobilibus segregandae sunt. Si qui sunt, qui in legionibus nondum dignitatem praefecti assecuti sunt, hos secundum militares leges ita tractare iubemus, ac si revera praefecti essent.

Nobilium ordo liber sit, qui militiam sequuntur, se munere suo abdicare possunt, quando placet. Concedimus ipsis gentes exteras adire, ibidemque suis opibus frui, nec non in exercitibus regum amicorum seruire, ea conditione ut reuocati statim se se fiant.

Iure, quo titulis suis nomina praediorum apponunt, quoque antea non vni sunt, in posterum vtantur.

Praedia ab ipso possessore comparata pro lubitu ab eo collocari possunt.

Quod

Quod autem ad praedita haereditate acquisita attinet, leges obseruentur, quibus quiuis dominus et si sua praedia sine vlo discrimine oppignorare et vendere potest, tamen liberorum aut ceterorum haeredum causa ab intestato in ceterorumque detrimentum de iis disponere ipsi non licet; nec omnino testamenta, quibus aut funda, aut agri, aut serui legantur, quidquam valent.

Praedia haereditaria ob delicta nunquam fisco, sed proximis haeredibus tradantur.

Nobilibus omnibus praedia sibi comparare, in iisque omnia genera officinarum aut alia negotia constituere licet, vt et domos in oppidis possidere, in iisque omnia negotia oppidana per suos administrare; adhaec oppidula (*Flecken*) fundare in iisque nundinas constituere possint, sed hac non nisi summo Gubernatore concedente.

Omnia mineralia, quae Nobilium in fundis, aut in terris, aut in aquis reperiuntur sine omnibus tributis ipsis concessa sunt, veluti aurum, argentum, aes, ferrum, sal, lapidum varia genera etc. siluis quoque et piscatura sine villa limitatione fruantur.

In Nobilium villis nullus militum hibernandi causa recipiatur.

Adhaec ab omnibus oneribus omnique tributo illos liberos esse volumus.

#### B) De Societate Nobilium.

Omnes Nobiles cuiusvis gubernii societatem inter se forment, hinc in urbem gubernii conueniant, ibidemque ex membris suis praesidem sibi eligant, cui totius gubernii societas tanquam Principi pareat. Idem Nobiles praefides Circolorum creent, quorum singuli cuiusvis gubernii circulo praesideant. Adhaec Nobilibus cuiusvis gubernii conceditur omnia membra iudicij super-

rioris Circulorum, iudicijque conscientiae, nec non iudicij inferioris Circulorum e quoquis Circulo ex membris suis eligere. Praesides, indices membraque diuersorum collegiorum, quae mox commemorauimus, per triennium subsstant, hinc et Nobilium societas triennio elapsso conuenire teneatur, quo in conuentu pro temporum varietate alii in suis functionibus confirmantur, alii abrogantur, alii autem aliorum in locum creatur. Quaevis Nobilium societas diploma quoddam ab ipsa Imperatrici signatum accipiat, quo omnia eorum iura accurate exponuntur iterumque confirmantur. Cuius societati licentia concessa est, causas suas immediate per legatos ad ipsam Imperatricem deferendi easque exponendi. Omnis Nobilis, qui turpiter et inhoneste egerit, voto se deinceps in Nobilium societate privetur et ex ea excludatur.

Nobiles, qui non ipsam militiam sequendo praefecti dignitatem, sed cum dimissione naeli sunt, non gaudent voto se deinceps in Nobilium societate, neque ad eas functiones, quas supra explanauimus, admitti possunt.

### C) De tabulis genealogicis.

In quoouis Gubernio Nobiles tabulas genealogicas sub auspiciis praefidis gubernii et cuiusdam hanc ob causam a Nobilibus delegati conficiant, quorum curae quoque in posterum relinquantur.

Ad haec impetranda omni circulorum praefidi catalogus familiarum Nobilium circuli sui conficiendus praefidique gubernii exhibendus est. Quo factio hic cum legato illo nobili communem gubernii tabulam genealogicam alphabeti ordine

con-

conscriptat, atque hac in re catalogis a praefidibus circulorum obtentis utatur.

Cuiusvis gubernii tabula genealogica in sex partes diuidenda est, quarum singulæ nobilium familias pro vario genere atque origine sequente modo exhibeat.

- I. Prima in parte eae familiae nobiles continentur, quae ab Imperatrice, aut ab aliis Monarchis diplomatis ceterisque insignibus ornatae sunt, nec non illae, quarum Nobilitas iam per spatium centum annorum existit.

II. In altera parte familiae exhibeantur, quae militiam sequendo ex mandato Petri I. nobilitatem obtinuerunt, quodque mandatum sic audit; „omnes qui dignitatem summi praefecti adepti sunt, neque genere nobili oriundi, accipient nobilitatem haereditariam, quam ob rem ipsis Nobilitatis diploma exhibemus.“

III. Ad tertiam referantur, qui functione sua in rebus ciuilibus Nobilitatem octo primarum classium adepti sunt, vt id in dignitatum tabula a Petro I. A. 1722 definitum est, vbi sequentia verba leguntur: „Omnes homines functione quadam instructi, sive externe, sive rossicae sint originis, qui in altera octo primarum classium aut sunt, aut fuerunt, paribus iuribus paribusque honoribus cum veteribus Nobilibus fruantur, vt et liberi eorum et posteri, et si nunquam antea Nobilitatem noquerunt.“

Primae octo dignitatum classes ab ea dignitate militari incipiunt, quae *Feld-Marschall* dicitur, et usque ad eam, quam *Premier-Maior* vocant, pergunt, qui dignitate *Astello* Collegiorum

instructus est; omnes itaque ciuiles homines, qui aut Asseliores sunt, et locum adhuc superiorem tenent, ad has classes referuntur.

IV. Quarta pars iis familiis dicata sit, quae externe originis sunt, et sub Rofforum protestatem venerunt, quarumque mentio fit in mandato A. MDCXCV. hic pertinent omnes, qui aut a Czaribus, aut ab exteris Imperantibus, aut ab alia illustriore origine descendunt.

V. Quinta in parte omnes recenseantur, qui titulis ornati sunt, veluti Principes, Comites Barones &c.

VI. Sexta pars iis destinata sit, qui nobilitatem ultra centum annos probare possunt, quorumque origo ipsa vetustate deleta est.

D) Quomodo Nobilitas sit probanda.  
In casibus dubiis hoc modo Nobilitas probatur.

- 1) Diplomatibus ceterisque insignibus.
- 2) Diplomate eiusmodi dignitatis, quae per se Nobilitate ornat.
- 3) Insignibus Ordinis equestris.
- 4) Epistolis laudatoriis, quae ad aliquem ob merita in patriam a quodam Rofforum Monarcha olim missae fuerunt.
- 5) Collatione praediorum et agrorum, licet eiusmodi familia nil harum rerum amplius possideat.
- 6) Mandatis ad aliquem missis, quibus perspici potest, eum, ad quem ea missa sunt, nobilem fuisse.
- 7) Munere nobili Maiorum.
- 8) Testi-

- 8) Testimoniis duodecim Nobilium de Nobilitate Maiorum eius, de quo agitur.
- 9) Litteris, quae vel de emtione, vel de op-pigneratione fundorum testantur, quae a nemine nisi a Nobili aut huius concessione ab alio exhiberi possunt.
- 10) Praediis, quae haereditate quis accepit.

Ad has rationes, quibus Nobilitas probanda, eo melius intelligendas quaedam altius repetenda sunt. Temporibus remotioribus saepius accidere solebat, ut nobiles pauperiores ditiorum tutelae se committerent et apud illos res domesticas aut alia negotia administrarent. Cum vero tempore sequenti a Petro I. omnes glebae adscripti censeri iuberentur, quod nunquam antea acciderat, multi pauperes, de quibus mox diximus in seruorum catalogis conscribi passi sunt, partim quia dominos bonos naclī sorte sua contenti erant, partim, quia militiae timore detinebantur, quippe quae omnibus Nobilibus Petro iubente subeunda erat, pauperioresque inter se ipsos legiones formabant. Ut igitur posteri eorum, qui ex Nobilium ordine in censum seruorum olim inciderunt, ad pristinam Nobilitatem dignitatemque peruenirent, hae rationes Nobilitatis probandae inuentae atque constitutae sunt. Proles itaque nobilis Originis, e. g. Diplomate, literis laudatoris, mandatis &c. seruitutem cum Maiorum conditione commutare potest.

§. 9.

De Petri I. Dignitatum classificatione in superioribus locutus sum, pauca tamen nihil adhuc appon-

apponenda videntur. Omnes dignitates militares in tredecim classes Petrus rededit. Ad primam retulit, qui *Feld-Marschalls* dicuntur, ad alteram *Generals en chef*, ad tertiam *General Lieutenant*s, ad quartam *General Major*s, ad quintam denique *Brigadiers*. Quae quinque classes diebus festiuis ad epulas Imperatricis admittuntur et reliquis in aula praerogatiis fruuntur. Omnibus his classibus quoque licet in vrbe curru sexiugi vehi, sutorumque ministrorum vestes totas auro ornare. Duae priores autem classes hoc proprium habent, quod currii duos equites praemittere possint. In classe sexta sunt, quos vocant *Obristen*, in septima *Obrift-Lieutenanti*, in octaua *Premier Major*, in nona *Second Major*; his quatuor classibus in vrbe quadrigis ut licitum est. In classe decima sunt *Capitans*, in undecima *Premier-Lieutenanti*, in duodecima *Second-Lieutenanti*, in decima tercia denique *Signiferi*; hae ultimae non nisi bigis in vrbe vii possunt; neque vestes ministrorum auro ornare licitum est; cum contra iis classibus, quae quadrigis vtuntur, limbum collarem et replicatam et tuniculas auro munire liceat.

His classibus militaribus omnia munera tum aulica, tum ciuilia respondent, paribusque cum illis iuribus fruuntur. Prima dignitate ipsa Imperatrix immediate eos ornat, qui eadem digni videntur; in classe secunda ii sunt, qui reuera sunt a consiliis intimis; in tertia consiliarii intimi; in quarta veri consiliarii in summa republica; in quinta consiliarii in summa republica; in sexta consiliarii in collegiis; in septima consiliarii aulici; in octaua Aesseiores. His prioribus octo classibus Nobilitas haereditaria conuenit. Clasis nona munere ciuili caret. Ad classem decimam pertinent Consiliarii titulares; ad tres ultimas fe-

creta-

cretarii, translatores, registratores reliquaque eiusmodi homines pro gradu cuiusvis collegii; nam in supremis collegiis secretarii ceterique ministri insimi etiam ad superiores classes referuntur; sic verbi gratia in senatu secretarii superiores classi sextae adscripti sunt. Si quis iniuriis afficitur, satisfactio fit secundum dignitatum classes. **¶** Is enim, qui alteri iniurias intulerit easque verbales, tantam pecuniae summam illi soluere tenetur, quantum annua eius merces valet; si autem ipsum iniuriis realibus afficerit, duplex ratio pecuniae ei exhibenda est. Quaevis foemina, cuius maritus munere fungitur, si iniurias ab aliquo acceperit, duplum rationem annuae mercedis mariti accipit; si vero reali iniuria affecta fuerit, quadruplicem dictam mercedis mariti nanciscitur. Filia innupta pro iniuriis verbalibus quadruplicem rationem mercedis patris, pro realibus vero octuplam rationem accipit. Omnes igitur sibi cauent, ne quenquam dignitate quadam indutum iniuriis afficiant, praecipue pauperiores, quum satisfactio, quam leges iubent, nemini remittitur.

**§. IO.**

Nobiles iure gaudere glebae adscriptos possundi, supra dictum est; id quum rarius inter Europaeos fiat, res mihi accuratori examine digna videtur. Glebae adscripti suis dominis, ut ita dicam, corpore et anima subiecti sunt; carent tamen illi iure vitae et necis. Quod si acciderit, ut servus granioribus corporis poenis affectus ante diem tertium obierit, dominus ad iustificandum feste sistere tenetur; hoc unico excepto plena concessa est domino potestas de suis servis eorumque fortunis pro libitu disponendi. Administratori e. g. villico, qui et ins dicit in praediis, cuique omnes



omnes eorum redditus mandati sunt, quique omni rerum copia abundat, dominus, si placet, subulci functionem tradere potest. Licit ipsi eodem modo de vxoribus eorumque liberis pro libitu disponere, quos vendere, aliis donare potest, hoc uno excepto, quod marito vxorem eripere ipsi non licet. De subditorum fortunis eodem modo disponere valet, aut omnes, aut pro parte modo, quomodo placet, auferre potest. Hancee subditorum conditionem tristissimam esse imo humanitatem horrore afficere, si cogitaueris, in vnius potestate tot millium hominum felicitatem sitam esse, facile concedo, attamen notandum est, rarius fieri solere, vt Nobiles rossici iuribus tam singularibus quoque vterentur. Ex more maiorum rustici et praedia ab hominibus administrantur, qui in domini aedibus vna cum ipso educari sunt, cumque dominus ipse nullam rerum domesticarum curam gerat, nequam hominibus in tali munere instructis carere potest; hinc grauem omnino iacturam facit, si administratorem aut advocatum amittat. Ipsa quoque necessitas, simul et domini commodum postulat, vt eiusmodi homines leniter atque honeste pertractet, et experientia docet quoque, illos meliori fortuna gaudere, quam iidem homines apud exterios. Ad haec maximo ducitur dedecori homines singulos vendere, idque non nisi a prodigis quandoque fieri solet; hinc rarius eiusmodi homines singuli emi possunt. Quod subditorum fortunam attinet, illa vetustate et more illis secura manet; hinc dominus diues potensque iudicatur, si eius subditi opinibus valent, inde quoque magnam eorum curam gerit, eosque aurigae ad instar ita tractat, vt hic equos suos, quibus vita sustentanda. Si praeterea dominus animo est miti et humano, nil pla-

ne timendum ipsis est. Domini auari autem subditos bene tractant, et longe abest, vt eorum bona rapiant, quin potius eorum fortunas amplificando ad maiorem eos industriam excitare fagent, dum probe sciunt, se eorum fortunas diminuendo, eos pigros negligentioresque reddere, ita vt dominus tandem cum suis subditis ad summa redigatur egestatem. Hoc principium quoque tam altas egit radices, vt id negligere, cuius domino quam maximo dedecori duceretur. Saepius fieri solet, vt aere alieno premantur Nobiles, hinc sub circumstantiis facile se expedire possent, si huic alterie subditorum, qui opibus pollent, superfluas detraherent aut singulos subditos eosque pauperes vendere vellent, cum proximo saepius ad 500 Rublos soluatur; id quod autem nunquam faciunt, et grauissimas potius vñras exhibit, aut si alia via vti non licet, vnum praedionem potius vendunt, quam vt talibus remediis fese expediant. Nulla regula sine exceptione; hinc et Nobiles dantur in suos negligenteriores, quorum administratores subditos pessime tractant, eosque multa iniuria afficiunt, dantur quoque, qui ob peruersam perditamque viuendi rationem ad malefaciendum quodammodo coguntur. Eiusmodi autem iniuriae et offendiones secundum morem ab omnibus probatum et acceptum omnibus quoque maximo dedecori sunt; hinc id rarius accidere solet. Ex his facile colligi potest praediorum administratores, licet seruos, si dominis diuitibus subditi sunt, maxima rerum copia frui, ipsosque haud raro praedia propriosque rusticos possidere. Quamquam enim secundum leges nemini nisi nobilibus praedia possidere licet est, hincque administratores non nisi domini nomine funda sibi comparare queunt, absoluta tamen

tamen potestate de omnibus suis disponunt, nec  
vñquam auditum est, dominos tali in causa eo-  
rum bona expostulasse.

§. II.

Nobiles itaque, vt vidimus, absolutam po-  
testatem in subditos suos exercent, nec vetitum  
est ipsis omnis generis officinas instituere, ex qui-  
bus magnos fructus percipere possunt; hinc quo-  
que talia negotia suo emolumento quam maxime  
accommodant. Panificinas, lintearias, vitria-  
rias, ferrarias, cuprarias officinas construunt,  
in quibus vltimis aere et ferro ex fundis suis ob-  
tentio vtuntur. Destillatio inebriantis illius po-  
tus, quem Brandwein vocant, monopolium qui-  
dem Imperantis est, qui illum per publicanos ven-  
dere solet, Nobiles tamen in vsum suum tantum  
destillare possunt, quantum ipsis opus est; eorum  
subditi autem a publicanis illis potum hunc eme-  
re debent. Quamquam Imperantis officinae ad  
partem quandam Imperii potu hoc instruendam  
sufficiunt, maximam tamen illius copiam Nobiles  
parant, dum inito foedere, quod per quadriennium  
durat, certum amphorarum numerum de-  
stillare tenentur. Hoc negotium magno emolu-  
mento est Nobilibus; non modo enim, qui oe-  
conomiae est peritus, ex ipfa destillatione magnum  
quaestum facit, verum etiam reliquas oeconomiae  
fuae partes eo ipso auget et amplificat.

Haud superfluum mihi videtur, paucis com-  
memorare, quomodo Nobiles de praediosis suis  
disponant iisque fruantur; id dupli ratione fieri  
solet. Nam aut ipse dominus praedia sua admi-  
nistrat, quae vario modo ipsis utilitatem praebeant  
quamque percipiunt e. g. ex agricultura, re pe-  
cunaria, mulstaria, ex fodinis, equinis, officinis,

ex

ex destillatione denique mox dicti potus; aut alia ratione de praediis suis disponit, quae et simplissima et subditorum felicitati magis accomodata; de qua mox dicemus. Quodsi itaque prima ratio locum habet, subditi tum armentis tum propria sua persona operam suam praestare tenentur, quae ratione quantitatis et qualitatis nil definiti habet; id vero semper agitur, vt illis tempus ad negotia sua exsequenda necessarium relinquantur, id quod magnopere a domini vigilantia et benevolentia dependet; hoc in statu subditi domino nullam plane pecuniam solvunt, sed hic ab illis omnia, quae ad vitam necessaria sunt, accipit, dum certo numero bestiarum volatilium, veruecum, porcorum, certaque quantitate butyri, ouorum etc. domini culinam instruere tenentur. Rustici quoque, qui in hoc statu cum domino vivunt, etiam pro situ regionis linteum et alias res, quae ad domesticam vitam pertinent, afferre coguntur. In genere Nobiles nulla patriae producta emunt, dum omnia a rusticis accipiunt. Si quando dominus ipse eos administrat, et ipsi famuli eorum ex his productis vestibus ceterisque rebus instruuntur. Facile intelligi potest, si hoc modo praedia collocantur, rusticos inferiori conditione vti, quod magis perspicuum erit, si de ipsis glebae adscriptis loquar. Altera ratio praedia administrandi haec est, vt dominus certam pecuniae rationem tanquam tributum sibi exhibendam poscat; hinc rusticis tota praedia et omnia, quae ad ea pertinent, concedit, quorum seruitiis nunc non vtitur, vt itaque ab omnibus oneribus liberi sint. Eiusmodi rusticci fere liberi sunt; nil enim, nisi res domesticas peragunt. Ad res communes ordinandas, vt et ad discordias ciuiles diiudicandas ex membris suis principem sibi eligunt, et de domino

suo parum solliciti sunt, nisi quod annuum tributum ipsi soluant. Non rarius etiam fieri solet, vt nobiles hanc conditionem cum priore coniungant, eorumque opera aliqua ex parte vtantur, et quedam ab illis accipiant, quae ad viatum pertinent; hinc tributum minorem ab ipsis exigunt. Secundum gentis ingenium et cum multa remedia sint ad negotia agenda, de qua re posthac fusi, maiorem utilitatem nobiles perciperent, si solum tributum a rusticis suis exposcerent, simul et rusticci quoque meliori conditione vterentur. Si autem rura agrorum multitudine et fertilitate excellant, si pratis siluisque abundant, si que commode ad produccta exportanda sita sunt, tunc sine dubio maiori Nobilibus erit utilitati, si ipsis praedia rusticorum opera administrant.

Et alia adhuc ratione subditi nobilium vsui, et voluptati inseruiunt. Sunt quippe in praediosis multae familiae a rusticorum conditione prorsus alienatae, quae res domesticas domini administrant aulaeque eius ornamento sunt. Omnes itaque praediorum administratores iurisperiti, qui et praediorum et domini iura tuentur, omnes artifices opificesque, omnes denique famuli glebae sunt adscripti. Pueros eiusmodi familiarium, quae aulae famulantur, in omnibus artibus erudiendos curat. Proprios itaque habet pictores, sculptores, musicos, horologarios, aurifabros, et vt uno verbo dicam, in omni arte eruditos artifices, quae ipsis arte sua omnia praestant, quae vel utilitati vel voluptati inseruiunt.

Si quis itaque iusta attentione mox dictum Nobilium statum perpenderit, videbit, Nobiles Rossicos maximis priuilegiis, quibus vix apud reliquias gentes allii fruuntur, gaudere, imo et multa adhuc possidere, quibus Nobiles ceteras inter

inter nationes carent. Quanta enim possident iura ratione possessionis praediorum! Quanta potestas in subditos! quanta denique rerum copia ad vitam commode facileque degendam! vtinam ita vtantur priuilegiis suis iuribusque, vt et infitiae studeant et humanitati! vtinam semper cogitent, felicitatem subditorum in ipsorum esse potestate, iisque ita vtantur, vt et patria perciperet fructus quam maximos, et ipse Nobilium ordo floreret atque vigeret!

## SECTIO II.

DE

## CLERO, DE INSTITVTIS SCHOLIS-

QVE PVBLICIS.

§. 12.

**C**lerus secularis semper, et a remotissimis temporibus, ordo singularis fuit, qui familiis suis a ceteris ordinibus separatis huiusque se propagauit. Si quis hoc ex ordine in alium transeat, quod hodie saepius fieri solet, progenies eius voce peculiare designatur; quae indicat illam originem sacerdotalem trahere. At contra rarins accidere solet, et nostro seculo forsan nunquam auditum est, vt aliquis aliam originem trahens in hunc ordinem migrauerit. Hic ordo itaque iam origine a ceteris separatus est.

Clerus secularis sumtibus suis aedes fedesque suas construit, easque sustinet, quas prope aedium sacram suisque in fundis positas habet. Si olim patrifamiliae plurimi filii essent, postquam vxores duxerant, tamdui eos apud se retinebat pater, quam sedes familiam capere potuerat, quae

C 2

cum



cum nimium adaugeretur, vni alterius filiorum propriam sedem exstruebat. Quod si is autem tantummodo filias haberet, generos sibi comparandos curabat, quibus eodem modo vtebatur. Hae fides clericae tantum spati interdum occupabant, vt circa aedem sacram rus integrum segregatumque formarent, quod etiam verbis rossicis rus sacerdotale dicitur.

Singulæ ecclesiæ in ruribus præest sacerdos, Pop., qui confirmatus atque inauguratus est, vna cum diacono, qui neque prorsus inaugurate, neque sacra administrare potest, sed solummodo sacerdoti in administrandis sacris socii loco est. Præterea quævis ecclesia æditure habet, qui campanas pulsat; munditiæ prouidet, et alia eiusmodi negotia curat; adiunt et quo aut plures cantores. Si ad vnam eandemque ecclesiam plura rura pertinent, duo aut plures sunt sacerdotes, numerusque ministrorum pari modo adaugetur. Facile intelligitur, hoc modo munera ecclesiastica numero candidatorum olim nequaquam respondere potuisse. Quamquam enim sacerdotibus et diaconis non nisi vna vice vxorem ducere licitum est, clericorum ordo tamen quam maxime propagatur; cumque rarius quis ex hoc ordine in alium transgredetur, plures aderant adolescentes, quam munera. Olim itaque maxima horum pars apud suos manebat, qui in administrandis sacris officiis qualecumque suam operam conferebant nullo interim demandato munere fungentes nullisque certis redditibus fruentes numerum augebant canticorum — ex processionibus atque diebus festiū emolumentum quoddam capiebant, ceterum agricultura, re hortaria, apiaria, pecuaria ceterisque negotiis vitam suam sustentabant. Cumque vicitus vili pretio veniret, lana atque pellibus omnium fese

vesti-

vestirent, ab omnibus quoque oneribus liberi es-  
sent, quaecunque ipsis necessaria erant, sufficiebant; hinc in hoc statu permanebant, donec ecclesiae quoddam munus vacaret, quo p[ro]ae omnibus ceteris induebantur, si neque concionis membra, neque praedii dominus quid opponerent. Quius itaque facile perspicit, hanc Clericorum progeniem ecclesiae ministerio fese adnumerantem, omni munere priuatam, membra reipublicae quam maxime inutilia constituisse. Perpauci artem quandam profitebantur; a corporis laboribus pigritia retinebantur et pudore, quum clerici esse vellent. Hinc saepius facinora committebant audacia communi commodo nocentia. Quamobrem Imperatrix coacta fuit magnam ratione eorum instituere reformationem, ut paulo post videbimus.

Quae hactenus in genere dicta sunt, non nisi de iis Clericis intelligenda, qui in ruribus parsique oppidis vivunt. Qui enim in metropolit aut emporii sunt, magnas opes possident, ut itaque liberos suos honeste educare possint. Multi horum, haud neglecta omni occasione in literis scientisque proficiendi, ob progressus, quos fecerunt, aut etiam fautorum ope ad exercitum recipiebantur, alii quoque foro fese dedebant, alii mercaturae studebant, alii ruris inferiora administrabant munera, ut ii tantummodo ecclesiae praesent, qui reuera munere quodam induiti erant.

Clerici ab omnibus liberati sunt oneribus, excepte, quod sacerdotes quouis anno pro quolibet parochiae sua[m]e mare copeicam exhibeant, quae borussicis nummis tres Pfennig valet, quaeque pecunia ad eparchiae Episcopum defertur, cui illa eidam emolumento est. Clericis, qui

omni munere carent, nullum tributum impositum est. Ceterum ordo hic liber est, neque ullus ne quidem suo consenu servus fieri potest.

Doctrina Christiana, uti notum est, circa finem seculi decimi a Constantinopoli Rossiam translata est; ab initio itaque ecclesia Rossica sub dominatione erat Patriarchae constantinopolitanus, ut Metropolita Kiowia sedem habens huic principatum concederet. Imperio Graecorum labente cadenteque Rossorum Metropolita principatum naclitus magnam sibi comparavit Auctoritatem. Czar Fedor Ioanowitzch regnante Metropolitae dignitas in patriarchalem commutata fuit, pro ea quoque ab ecclesia graeca agnita. Temporibus illis tenebrarum atque ignorantiae etiam apud Rossos, uti ceteros apud populos ecclesiae caput magnam potentiam, magnamque in rebus publicis administrandis auctoritatem sibi vindicabat. In pompis publicis honore longe Principem superabat. Omnes Clerici ipsi immediate subiecti erant, qui cum magnum in diuersos ciuium ordines momentum haberent, hic ecclesiae Praeses, seditionibus ortis, Principi maximo terrori esse poterat. Non potuit haec res Petri I. sagacitatem diutius subterfugere; Patriarchatum hinc aboluit, summum ecclesiae iudicium sub nomine Synodi instituit, cuius praesidium sibi vindicauit. Hoc summum iudicium et hodie adhuc omnes res Clericorum iudicat, atque absolvit, ultimumque est tribunal competens. Eadem Synodus ecclesiae Rossicae leges praescribit; Metropolitae, Archiepiscopi, et Episcopi eidem parent: et ex eorum Consistoriis causae per modum appellationis indicandi ergo ad Synodum deferuntur. Huic iudicio et hodie adhuc Princeps praefidet, sine cuius quippe consenu nil peragi potest. Synodus haecce Petropoli refidet,

residet, sed et Moscuæ quosdam ex suis legatis  
habet.

Totum imperium in Eparchias diuisum est,  
quae singulæ suum Praesidem habent, quem Ar-  
chiereum vocant. Praesides hi aut Metropolitæ  
sunt, aut Archiepiscopi, aut Episcopi, pro digni-  
tate quippe, quam officium Praesidis Eparchia  
postulat. Sic verbi causa Archiereus Kiowensis  
titulo gaudet Metropolitæ, qui Moscuæ, Petro-  
poli et Cafani residet, nomen habet Archiepiscopi,  
qui tamen non maiorem potentiam in Eparchia  
sua exerceere potest, quam Episcopus. Quius  
Archiereus sum Consistorium habet, quod e tri-  
bus vel pluribus Assessoribus vnaque Secretario  
constat, quo in consistorio omnes causæ sacrae  
cuiusvis Eparchiae peraguntur. Archierei ipsi  
una cum consistoriis Synodo subiecti sunt, ad  
quam causæ, si appellatio locum habet sententiae  
dicendæ ergo remittuntur. Archiereis morum  
disciplina Clericorum suæ Eparchiae competit,  
consistoriique examine præmisso muneribus ipsos  
prinare possunt. In delictis civilibus Clerici iudi-  
cibus secularibus subiecti sunt, a quibus secun-  
dum leges indicantur, ita tamen ut nullitiae causa  
ad Archiereum referatur. Muneribus vacantibus  
candidatus a praedii domino, aut in eius absen-  
tia a concionis membris commendatur, quae iure  
electionis gaudent, si rura aut Imperantis sunt,  
aut si in illis dominus ipse sedem non habet, aut  
in iis denique, quae domino tributum soluunt.  
Archiereus candidatum in consistorio suo exami-  
nare tenetur, quod recitandis aliquot missis fieri,  
solebat, quo facto ipsum ad munus sacerdotale,  
aut ad aliud munus, prout res se habeat, con-  
firmat. Clerici seculares mercede haud gaudent;  
Sacerdotes ceterique templi ministri in oppidis

viuentes redditus incertos habent; pro copulatione  
 coniugali, baptismate, vltima vnctione honoraria  
 accipiunt, quod magis consuetudini, quam  
 legibus quibusdam originem debet. Communio,  
 Missa pro defunctorum animis, priuatae aliaeque  
 praecationes cum ceremoniis coniunctae magnos  
 ipsis redditus praestant. Cum Rossi ecclesiae suae  
 praecepta studiose obseruant, admodum religiosi  
 sunt; quam ob rem nil ponderis suscipiunt, nisi  
 antea preces suas cum ceremoniis dixerint; itine-  
 re peracto, aut grauibus negotiis ad finem per-  
 ductis idem faciunt. Diebus Solis atque festiis  
 tempore matutino aut etiam vespera antecedente  
 officium quoddam sacrum instituunt Senochna di-  
 etum, quod semper Missam antecedit, ad quod  
 peragendum familiae insigniores ditioresque sacer-  
 dotem vna cum collegis suis accessunt, idque in  
 domo sua expedient, quod nunquam sine gratifi-  
 catione fieri solet. Adhaec novo anno, paucitate,  
 in aqua sacrificanda, die denique festiuo Patroni  
 ecclesiae suae magnis Clerici fruuntur redditibus.  
 Olim cum imaginibus suae ecclesiae singula con-  
 cionis suae membra, et alias quoque, quibuscum  
 illis consuetudo erat, adire solebant, breuibus-  
 que precibus peractis illis diem festuum gratula-  
 bantur. Hodie has gratulationes sola cruce or-  
 nati peragunt, et pro eo a quauis familia donum  
 quoddam accipiunt. Clericis itaque in oppidis vi-  
 ventibus multi quidem labores sunt, sed magnis  
 quoque redditibus fruuntur. Insigniorum eccl-  
 esiarum primarii sacerdotes certam ab Imperatrice  
 aut ab institutis quibusdam mercedem accipiunt,  
 protopopas eos vocant, quique vitae commodae  
 quoque adeo student, vt per vicarios, sacerdotali  
 munere iam initios omnia difficiliora officia ex-  
 sequantur. Clerici in ruribus, praeter redditus,  
 quos

quos cum iis in oppidis communes habent etiam agros ad violum designatos possident. Singulis sacerdotibus, diaconis atque subministris triginta iugera rossica designata sunt, quae in circa ducenta et quadraginta germanica valent. In limitibus praediorum definiendis cuius ecclesiae mox dictus numerus ingerum designatus est, quos agros clerici pro locorum natura varie colunt. Sacerdos vindicat fibi partem dimidiam, diaconus quartam, redditu cantoribusque id quod superest, relinquitur. Eadem proportione etiam Clerici et oppidanii et rustici redditibus incertis ceterisque rebus fruuntur.

Archiereus Clericorum praes contra omnes iniurias ipsos defendere tenetur; si quis eos aut omnibus ornamentis, aut etiam pro parte solummodo induitos iniuriis afficerit, in magnum se coniicit periculum. Sacerdotibus et diaconis non nisi vna vice vxorem ducere licitum est; hac mortua, quum sacrati sint homines, non possunt secunda vice coniugium inire; si vidui esse velint, in munere suo manent; si secundam vxorem ducere velint neque profanantur, ita ecclesiae prae- fuent tanquam aeditui aut cantores; lubentius autem artibus ciuilibus incumbunt, et si ingenio atque amicis pollent, ad honores peruenire possunt, quod non rarius fieri solet.

Vestitus Clericorum longus est, supra tunicalam tunica induiti sunt, ea forma, qua amicula cubicularia sunt, quam cinctura corpori affirmant; quando in publicum prodeunt, supra hanc tunicalam aliam adhuc induunt praelongam atque vastam, cuius manicae admodum ampliae sunt. Vestiimenta haec tempore hiberno ex panno laneo, vel et ex holoferico confecta sunt, aestate autem

vestibus ex Gossipio aut serico confectis vtuntur. Quoad colorem nil definitum est; color viridis, badius, rubicundus vistitissimus est. Barbam non-tendent, quo longior illa est, eo magis aestimatur. Capillos habent hirsutos incomitosque, quos nocte connectere solent, vt inflati quasi turgidique videantur. Capiti pileum imponunt rotundum. Hiberno tempore etiam pellicis atque tunicis pelliceis more reliquorum incolarum vtuntur. Non solum Clerici rustici, sed et illi, qui in oppidis minoribus erant, omni rerum tum theologicarum tum et aliarum scientia carebant. Legere, literas stylo exarare, baptizare, copulare, Missam recitare omnesque eiusmodi res more officium addicebant, et si quae res esset, quam attentione magis dignam iudicabant, ad vitas patrum aliorumque sandorum legendas se accingebant. De literis sacris explicandis nemo huiusque cogitauerat. Sacerdotes plebis ad hoc sciendum etiam scientiis necessariis destituti erant. Licet enim Kiouiae, Moscuæ et in nonnullis monasteriis seminaria fuerint, quae diuersis temporibus diuersas mutations experta sunt, et in quibus Rhetorica, Philosophia et Theologia doccebantur, tam vasto tamen imperio nunquam sufficiebant; vixque praepositos, sacerdotes oppidanos, et eos qui aulae munera obirent, exhibere poterant. Huic incommodo medendi causa, augustissima Imperatrix multis remediis vfa, rem eotandem deduxit, vt seminaria longe lateque constituerentur, in quibus studiosi in literis veterum, in lingua gallica et germanica, in Rhetorica, Philosophia atque Theologia erudiuntur. Imprinmis vero Kiouiae, Moscuæ, et in Monasterio St. Trinitatis, quod haud procul a Moscua situm est, gymnasia illustriora inueniuntur, in quibus inue-

iuuenes in sublimioribus literis instruuntur. Imperatum est, iamque imperata obseruantur, vt eiusmodi candidati muneribus praeficiantur, exclusis eis, qui more opificum artem suam didicierunt; hinc omnes sacerdotes omnesque ecclesiae ministri coadi sunt, filios suos hisce gymnasiiis committere, vt cursum praescriptum faciant, si illos aliquando munere quodam ornatos videre volupte est. Iam in omnibus oppidorum ecclesiis suggesta conspicuntur, et mox quoque in ruribus erigentur; literae sacrae et sermonibus et catechismo illustrantur; morum doctrina et sublimior Christianorum religio nunc domiciliis his sanctissimis personant. Et ipsi sacerdotes non bene erudit diebus solis et festiis sacram orationem recitare tenentur; quem in finem Plato, vir celeberrimus, Moscouiensis Archiepiscopus librum pro omni die solenni orationes continentem edidit, quas sacerdotes diebus festis suae concionis membris paeligere debent. Optandum est, et spes quoque affulget, vt Imperatrix, quae omni opera subditos suos in artibus scientiisque erudiendos curat, eo quoque nitatur, vt ruralibus Clericis merces quoque sufficiens et honesta concederetur, quo ab omnibus curis liberi suo officio omnibus quoque viribus vacare possent. Quum enim redditus eorum admodum exigui sint, atque ex agricultura paeprimis vitae necessaria sibi comparare coacti sint, non mirum, si huius magis periti sunt, quam eorum, quae officium postulat.

Clericos plurimos reipublicae inutiles fuisse supra dictum est. Etiam huic malo mederi ante biennium Imperatrix studuit. Legem enim tulit, qua omnes Clerici, decimo septimo aetatis anno paeacto, et nullo adhucdum munere induti, si spe quo-

quoque careant alicuius adipiscendi, aliud vitae genus feligere tenentur; quod ni faciant, tanquam tirones ad exercitum ablegantur. Hinc ad omnia negotia oppidana et ad ipsum forum aditus illis patet, et quidquid etiam patriae opera sua contribuunt, non spes ipsis deest ad honores perveniendi; id quod plurima quoque exempla docent. Hac legi itaque Clericorum numerus admodum diminutus est, vt non nisi illi superfint, qui reuera munere quodam funguntur. In posterum omnes sacerdotum filios, qui absque munere sunt, aliam vitae conditionem subire, eos autem, qui munus quoddam sperare possunt, studiis incumbere oportet, peractoque cursu suo gymnastico ecclesiae cum dignitate praefici queant.

Ecclesia rossica in multas olim eparchias erat diuisa, quorum quaevis immensis fere finibus erat circumscripta. Imperio autem in gubernia pari magnitudine proque locorum situ diuiso, eparchiae quoque eadem ratione distributae sunt, ita vt duo gubernia vni Archiereo in rebus ecclesiasticis subiecta sint. Guberniorum itaque conditio tum ciuilis tum ratione Clericorum vna eademque est. Bina quippe Gubernia vnum gubernatorem et Archiereum habent.

§. 13.

Monasteria vna cum doctrina Christiana in Rossia orta sunt, nam et hisce in locis sancta simplicitas se Deo placere creditit; multi etiam privati multis opibus praediti funda atque bona monasterii testamento reliquerunt; alii ad vitae usque exitum his in domiciliis morati fuerunt, dum Dei iusticiam ob commissa delicta se lenituros esse autemabant, et ita bona sua Monarchis dono derunt.

derunt. Euenit inde, vt hōrum opes et auctoritas quam maxime adaugerentur. Praelati atque superiores coenobiorum, quam auctoritatem sibi vindicarunt, huiusque etiam retinuerunt. Omnes enim Archierei, Metropolitae, Archiepiscopi et Episcopi Monachi sunt, qui ordo solus ad has dignitates peruenit. Si Clerici rossici itaque summos honores concupiscent, ordini monachali adscripti facillima procedunt via, vt nihil ipsis amplius superstet, nisi eo niti, vt primo in quoconque coenobio Abbatis, dein autem Archimandrita dignitatem obtineant, quo factō citius illam Archierei adipisci possunt. Omnes Monachi vnius eiusdemque ordinis sunt, qui St. Basili est, cuius praecelta studiose obseruant. Adfunt quoque monasteria quaedam in foeminarum vsum, sed nunquam carceris loco fuerunt virginibus a parentibus desertis; nec omnino in Rossia monasteria tot habitatoribus abundarunt quot apud Catholicos deprehenduntur. Nunquam fieri solet, vt parentes numerosa familia aggrauati liberis suis aut persuaderent, aut eos vi cogerent, monachalem vitam amplecti. Nulli alii rei inferuissevidetur olim coenobia, nisi confugio hominibus ab omnibus rebus destitutis, senibus infirmis, viduis virginibusque aetate iam proiectis, quibuscum apud suos parum honeste agebatur. Praeterea etiam adulteri, aliquique qui in honeste viuebant, his in domiciliis includebantur, vt et conscientiae suae satisfacerent et poenas criminis dignas luerent. Rarius iuvenes pio errore seducti monachali vitae se se dare solebant; ii modo id faciebant, qui more illorum temporum prae ceteris doctrina eminebant, quique itaque ambitione excitati ad summos in ecclesia honores adspirationib; multi autem spe sua exciderunt, quum tunc tempore.

temporis honores illi adhuc in exiguo numero ad-  
essent. Monasteria rossica neque canonicos, ne-  
que conuentuales vñquam habuere, non multi  
quoque illis erant superiores. Solus Abbas in-  
star praefecti et de monachis et de opibus coeno-  
bii disponebat; omnibus quoque coenobii diutius  
fruebatur, quarum rationem licet Archiereo ex-  
hibere teneretur, eas tamen absolute fere admi-  
nistrabat. Omnes monachi cibum, et pecuniam  
quandam ad vestimenta ceteraque necessaria sibi  
comparanda accipiebant. Vitae monachalis ita-  
que austerioris atque rigor, sempiterna fere a carne  
abstinentis iuuenes nequaquam ad illam ample-  
tendam alicere poterat. Nam et monachis et  
monialibus carnium eis in sempiternum vetitus  
est, cum Clericis secularibus is, eo tempore ex-  
cepto, quo omnes a carne abstinent, concessus  
sit. Monachi vero piscibus, lacte, butyro atque  
omni vescuntur; tempore abstinentiae et hocce  
victu carent, nec quicquam nisi olera cum oleo  
cocta edere audent; certis quoque diebus et  
oleum ipsis interdictum est. Dies abstinentiae  
apud Graecos infinito numero sunt, exceptis enim  
diebus mercurii atque veneris per plures hebdo-  
mades a carne abstinent, idque omnes, qui eccl-  
esiae graecae addicti sunt, obseruant. Hebdome-  
diana ante pascha solennia anteieunalia, quae  
Carneual, rossice Butter-Woch dicuntur, celebrant,  
quibus non nisi pisces, butyrum atque oua edere  
licet: dein per septem hebdomades tempus ante-  
paschale locum habet, quo ab omnibus rebus maxi-  
ma cum austerioritate abstinent; solis enim oleribus  
vescuntur; ultima hebdomada maior adhuc rigor  
obseruatur, secundum enim ecclesiae leges non  
nisi vna vice per diem, idque vitae modo con-  
seruandas causa edere licitum est. Hac absti-  
nentia

nentia eam ob causam obseruatur, vt ea, quae Christus perpeſſus est, in mentem reuocentur. Menſe Iunio iterum tres quatuorue hebdomades, prouti paſchatis festum plus minusue fero celebra-  
tur in Apostoli Petri honorem a carne abstinent. Initum fit nona hebdomade poſt festum paſchale et ad diem festum St. Pauli et Petri vsque conti-  
nuatur, quique die 29 Iunii celebratur. A die primo Auguſti vsque ad decimum quintum in ho-  
norem St. Mariae a carne quoque et quidem ad-  
modum religioſe abstinent, vti id tempore ante-  
paſchali fieri ſolet. A die 15 Novembris ob Chri-  
ſti nativitatem idem obſeruant, ſieque ad diem  
festum iſum continuant. Eo tempore, quo in  
honorem St. Petri abstinentiam obſeruant, homi-  
nibus ciuiibus pifcibus veſci licitum eſt, lac vero,  
butyrum atque oua veſta funt. Omnes cibi oleo  
parantur ex papaueris ſeminibus exprefſos, di-  
tiores hunc in viſum oleo amygdalarum vtuntur.

Magna in parte Roſſiae frigus rigidiffimum eſt, quod arboribus fructiferis quam maxime no-  
cer, hinc abstinentia a carne tam frequens incolis admodum incommoda eſt. Patres Graeci, qui Roſſis tam auſteras leges praefcriptere in regioni-  
bus vitam degebant, quas Romania et Natolia  
habent fertiliſſimas, vbi ſuauifſimi fructus horaci  
abunde producentur, oliuetaque iphis oleum  
mitiſſimum largiuntur; quinque in dietiſ locis  
frequenter carnium eſus humano corpori quam  
maxime inimicus fit, valetudinis conſeruanda  
cauſa a carne erat abſtinendum. Hisce itaque  
legiſlatoribus facillimum erat has leges obſeruare,  
quarum auſteritas omnium reliquarum rerum ab-  
undantia multum leniebatur. In regionibus au-  
tem septentrionalibus, vbi terra non niſi eucume-  
res,

res, brasileam capitataam, rapas et boletos gignit, haecce viuendi ratio admodum rigida est. Coeli huius inclemantiae diiores modo succurrere valent, tum domiciliis plantarum calefactoriis, tum et iis fructibus atque oleribus, quae ex regionibus calidioribus aduehantur. Plebs autem licet omnibus hisce desituta, strictissime tamen abstinentiam obseruat; Nobiles vero, qui cum extensis gentibus versantur hac in re non adeo religiosi sunt; et quum milites sint, tantam abstinentiam nequaquam ferre valent; hinc et ipsa Synodus belli tempore, si exercitus intra fines hostium est, quibuscunque alimentis placuerit, ut concedit.

Quamquam Monachi rigide admodum atque inculte viuebant, multa tamen monasteria tam subditis, quam opibus olim abundantabat, ita ut varia fuerint, quae plura millia subditorum et vastissima funda possidebant. Monasterii Abbas iure domini gaudebat, qui licet Archimandritis, Archiereo, aut immediate ipsi Patriarchae, tempore vero sequenti Synodo subiectus fuerit, subditi tamen Abbatem suum accusare nequaquam audiebant, quum praesidiis non satis temporis superfit ad causas eorum agendas. Monachi ipsi nullo modo coenobii diuitiis fruebantur, cibo tamen reliquisque ad vitam necessariis instruebantur. Quae cum ita esent, iam a longo retro tempore Imperatoribus cordi fuerat, coenobiorum bona per se ipsos administrare, Praelatis autem, Abbatibus omnibusque monachis annum stipendium exhibere; id quod Augustissima Imperatrix etiam perfecit. Archierei, qui olim magnos redditus ex coenobiorum praediis capiebant, hodie cum omnibus suis inferioribus annum stipendium accipiunt; bona coenobiorum Imperatrix sibi vindicavit eorumque administrationem collegio oeconomico

onomico et hodie Collegio Camerali commisit. Quoad redditus coenobia in tres classes diuisa sunt; secundum quas eorum conditio definita est. Omnes superiores, qua ex prima et secunda classe sunt, dignitate Archimandritae gaudent, tertiae classis superiores Higumeri vocantur, qua vox a graeco verbo *hylopa* descendit; sunt tamen nonnulli Abbates tertiae classis, qui dignitate Archimandritae induiti sunt. Summa pecuniae stipendiariae non una eademque est. Archiereus enim a millibus usque ad tria millia rubelorum, et plus quoque accipit. Abbates classis tertiae trecentos aut plus rubelorum habent. Praeter hoc Archierei, Archimandritae atque Abbates magnos adhuc fructus percipiunt, nam et pecunias accipiunt ad viuum suum, et nonnullas quoque familias eorum retinent, qui ipsis antea subiecti erant, quique cum eorum munere quasi coniuncti sunt, in quos quoque iura domini exercent. Ex his quippe omnis generis famulos sibi constituunt, alios quoque in artibus erudiendos curant, alios hortis atque pratis praeficiunt. Huius generis quoque multos habent, ita ut Abbates tertiae classis saepius duodecim aut plures quoque familias possideant, quae omnia eorum negotia perficiunt, et utilitati non modo, sed et eorum delectamento sunt. Superiores non minus hortis, quae olim ad monasteria pertinuerent, piscatura, pratis siluisque fruuntur; certam quoque pecuniae summam accipiunt ad monasterii aedificia tam condenda, quam reparanda, ut itaque hoc modo honestam ac lautam vitam degere possint. Monachi, Cantores ceterique ministri stipendio quoque annuo gaudent, sed admodum exiguo.

D

Foemi-



Foeminarum coenobia foeminas directrices habent, et eodem modo in tres classes diuiduntur. Directrices, moniales, cantrices reliquaque omnes stipendio quoque annuo fruuntur simul et illis emolumentis, quae monachorum sunt. In coenobiorum reformatione multa prorsus abolita sunt; alia Archierei eparchialis suisu permanerunt quidem, omni tamen stipendio carent, et non nisi refugio hominibus infirmis inferuiunt, qui minuta modo ibidem emolumenta capiunt. In monasteriis, quae post reformationem stipendia sua retinuerunt, monachorum et monialium numerus valde diminutus fuit, qui nunc cuius coenobio definitus est. Non minus et aetas eorum, qui huic vitae genere se consecrare velint, stabilita est, ut nemo amplius ante annum aetatis quinquagesimum recipiat, excepte, si a sancta Synodo licentiam obtinet. Imperatrix enim, qua summa est sapientia, eo solum nititur, ut coenobia confugio inferuant infirmis hominibus, qui patriae olim officia sua praestiterunt, prae senectute autem id amplius perficere nequeant. Quum itaque coenobia tanquam hospitia publica considereret, si in maiori copia illa adessent, ad pigritiam viam panderet, multosque ab officiis tum patriae tum sibi metiis praefundis abduceret. Modum itaque feruare voluit Imperatrix; quodsi enim instituta haec omnia aboleuissefset, multis miseris, viduis, quibus aut nulli amplius aut inhumani sunt parentes, confugium paecludissefset, quod ipsis nunc patet. Coenobia itaque feruauit, et ea modo commutando abstulit, quae patria nocere potuissent.

Imperatricem coenobiorum redditus pro magna parte scholis emendandis impendisse, supra iam diximus, vbi etiam paucis feminaria, quae sub singulorum Archiereorum auspiciis sunt, attigimus. In linguis, alisque scientiis multos iuuenes erudiri, quorum plurimi iam hisce praesidiis muniti muneribus vacantibus fuerunt praefecti, ita ut spe, quam omnes conceperunt, non fallantur, quoque iam dictum est. Praeter has scholas autem Clericis destinatas, multas adhuc Imperatrix in aliorum vsum partim fundauit, partim emendauit. Sic Petropoli Institutum in virginum nobilium et aliarum vsum stabiluit. Corpus cadetorum tum marinum tum terrestre fundatum quidem iam erat, vtraque autem instituta nunc emendata sunt, alumnorumque numerus adanctus. In Petropolitana Academia inque vniuersitate Moscueni multa quoque meliora redditia nonaque plane instituta fundata sunt. Artium academia, instantum expositorum hospitia, quae Moscuae et Petropoli sunt, non nisi Augustissimae Imperatrici suam originem debent, quae nunc omni opera eo nititur, ut scholas per vastum immensumque suum regnum frequentiores reddat, et vsum communi accommodatores. Hac in sectione de scholis publicis mentionem iam fecimus, nunc et de reliquis institutis differere a proposito haud alienum videtur.

Institutum quidem, in quo puellae nobiles educantur, primis regni sui annis fundauit Imperatrix. Aedificium huius instituti magnifice splendideque exstructum est, ad ripas fluminis Newa situm. Multi ipsi adiacent horti, ut prospectu amoenissimo gaudeat. Platea recta, quae longitudi-

tudinem fluminis Newa sequitur, hoc aedificium cum vrbe coniungit.

Alumnae in quatuor classes diuisae sunt; infans recipiendus quintum iam annum agere debet; quauis in classe tres annos manent, vt tempus itaque, quod huc peragunt, duodecim annorum sit. Classes omnes vestibibus distinguuntur. Omnes alumnae ipsae capillos suos concinnare debent. Foeminae enim rossiae a pueritia iam multis famulis circumdatae, rarius se ipsas induunt, fundatrix itaque et ad haec attenderat, vt alumnae ab infantia iam ipsa iis vestimentis, quae ad cultum muliebrem pertinent, sese induere conuentant. Hinc omnibus in rebus, quae ad vestitum muliebrem spectant, simul et in rebus domesticis erudiuntur. Quae in classe vltima sunt, in rationibus ducendis instruuntur, etiam culinae inspectionem vicissim exercent. Praeterea omnibus linguis et scientiis, quae sexui eorum conuenient, imbuuntur. Pertinet huc ars Musices, pictoria delineatoria, saltatoria; lingua gallica, germanica, Italica; Arithmetica, Geographia, Historia, omnesque denique scientiae, quae ad educationem liberalem pertinent. Per omne tempus, quo hoc in instituto alumnae versantur, nil iuris parentes in liberos suos habent, qui illos neque ad se accersere, neque cum illis solis colloqui possunt; tanquam ad rem publicam pertinent. Quouis mense solemniter saltatii, tuncque parentibus, qui cum liberis, aut cognatis colloqui velint, adesse licet. De utilitate huins instituti nequaquam dubitandum est; multis enim in qualibet gente tyrannis succedentibus, vis ut moribus inferatur, necesse est. Imperatrix itaque non artuum modo scientiarumque propagationi, sed et puritati motorum quam maxime studet; dum liberos suorum

sub-

subditorum omnem seruitutem respuentes educare velit, omnes quoque ab illorum educatione remotos esse vult. Alumnæ admodum liberaliter tractantur. Nullum genus poenarum et castigationis locum habet; tantummodo, si aliter fieri non potest, dedecore publice notantur; industriam potius excitandi causa, laudibus attolluntur. Industria morumque probitas donis, præcipue vero nummis memorialibus, quos pectori affixos habent, excitantur. Quae singularem morum integratatem ingenijque præstantiam ostendunt, ministerio aulico destinantur. Quando conubium ineunt, magna dona ad nuptias celebrandas ab Imperatrice accipiunt; quibus beneficiis quoque pauperiores virgines nullis licet singularibus meritis conspicuae fruuntur. Quaevis classis e quinqaginta virginibus constat, et decem adhuc aliae ditionum sumtibus sustentantur, ut in omnibus itaque classibus 240 adsint. Adhaec Imperatrix cuius classi parvum numerum virginum ignobilium adiunxit, quae eodem modo, quo nobiles, educantur, excepte, quod maiori cura in rebus domesticis bene administrandis instruantur, quo deinde quoque versus finem commorationis in instituto rebus domesticis præesse possint. Olim filiae egentes nulla habita originis ratione, recipiebantur, quae cum educationem suo ortu præstantiorem acciperent, ea deinde male vtebantur; hinc hodie non nisi puellae, pauperes quidem, sed honestis parentibus natae, quorum patres aut munere quodam induiti sunt, aut antea quodam fungebantur, admittuntur, ut saltem per aliquod temporis spatium securum habeant confugium. Ceterum virgines ignobiles hoc ex instituto dimissæ vicum facile sibi comparare possunt, iuuentatem gubernando aut informando;

D 3

id

id quod Imperatricis proposito plane respondet, quum hoc in instituto preeceptores sexus sequioris formare velit. Haece alumnarum dimissio atque receptis quovis triennio fieri solet, et classes dein eundem ordinem, vt antea obseruant.

Institutum hoc sub auspiciis consilii administrationis summique directoris est. Duae foeminae nobiles tanquam inspeccrices eiusuis classis preeceptoribus inuigilant, hinc in instituto quoque suum domicilium habent. Praeterea institutum hocce suis oeconomis, Medico, Chirurgo atque Pharmacopola instruictum est. Sumtus annui summanum centum millium rubelorum aequant, exceptis praemis, quibus virgines recens dimissae ab Imperatrice donantur.

Corpus tironum nobilium terrestre, *Land-Cadetten-Corps*, aedificium magnificum habet, in ipsa vrbe. Eodem in loco olim aedificium eiusdem nominis inque eundem usum minus vastum erat. Augustissima Catharina hocce Institutum non solum amplificauit sed et quoad educationem remque paedagogicam in meliorem statum rededit. Hoc institutum ita renouatum consilio administrationis summoque directore gubernatur. Eidem disciplinae praeses est, praefectus aerarii, morumque directores, quibus dignitas militaris, quae *Obrist-Lieutenant- und Majors-Rang* dicitur, attribuitur. Duabus classibus superioribus prae-  
funt *Obrist-Lieutenant*, *Premier- et Second-Major*, quatuor *Capitaines*, quatuor *Ober- et quatuor Unter-Lieutenants*, quatuor denique *Signiferi*, qui omnes militares dignitatis ratione, Architectis militaribus, *Ingenieurs*, pares sunt, hi quippe reliquos milites vno gradu superant. Praeterea institutum professores suos habet et preeceptores, qui

qui *Majors et Capitaines* sunt, quique hac in dignitate semper permanent; si munus suum diu atque integre administraverint; et sic quoque dein anno stipendio per totam vitam gaudent, si muneri suo senectutis aut valetudinis causa non amplius praeesse possunt.

Alumni in quinque classes diuisi sunt, ab anno aetatis quinto aut sexto etiam recipiuntur, et in instituto quindecim annos permanent. Omni triennio alumnorum translatio fieri solet; peractis tribus annis in classe quinta dimituntur.

Alumni in omnibus mathefeos partibus, praecipue autem in Architectura navalium, militari et ciuiili erudiuntur; praeterea ipsis physica, rerum naturalium historia, geographia, historia profana, omnesque denique linguae necessariae traduntur. Qui artibus civilibus sese dare in animo habent, iis in primis morum doctrina, ius naturae et commune, patriae leges, Status Imperiorum, id quod latistique vocant, inculcatur. Ad artes atque exercitia eorum, ars delineandi, pictura, sculpira, Architectura, Musica, Ars saltandi, pugnandi, equitandi, et illud denique exercitium, quod *voltingen* vocant, pertinent.

Nouitii omni triennio recipiuntur, ut semper centum pueri rossiae originis, et viginti ex provinciis Eflandia, Fonia, Litonia etc. accessum habeant. Pueri bona firmaque valetudine est debent; nobilitatem suam probare tenentur, quid vel eo fieri potest, si indicatur, patrem revera dignitate militari, quae *Majors-Rang* dicuntur, funetur esse. Ad quindecim annos recipiuntur, ita ut cognati per hocce tempus se eosibi non vindicare velle promittere debeat.

Recepti ordinì primo adscribuntur, cui cum mulieres propiciant, foeminae directrici committuntur. Disciplinae quoque curam foemina gerit; ad praecpta tradenda decem praeceptr̄es, ad seruitia peragenda decem famulæ constitutaæ sunt. In hac classe infantes per tres annos comorantur, ad annum quippe aetatis vsque nonum. Traditur ipsis hic doctrina Christiana; praeterea in literis tam legendis, quam exarandis, in rossica aliisque linguis in arte delineandi atque saltandi erudiuntur. Haecce classis ex 120 alumnis constat, qui numerus semper suppletur, si morte quis abripitur, cum contra reliquis in classibus numerus diminutus haud restituitur.

Secundae classi quoque 120 alumni adscripti sunt, in eoque ab anno aetatis nono vsque ad duodecimum permanent. Huic ordini inspectori est, octo praeceptr̄es totidemque famuli. Traditur alumnis Arithmetica, Geometria, Geographia, Historia, Mythologia, principia denique linguae sc̄lauonicae.

Tertia classis pari ratione et 120 pueris constat, qui sex praeceptr̄es totidemque famulos habent. Hac in classe alumni a famulis abstinerè addiscunt, quaeque studia incepant, continuant. Praeterea architecturae tam ciuili, quam militari linguae quoque latinae, si qui eius cupidi sunt operam nauant. Quartae et quintae classis viuerdi ratio prorsus militaris est, vestibus quoque militaribus induiti sunt alumni. Vtraque classis in vestitu aliquid discriminis habet. Peracto in quavis classe triennio dimittuntur. Harum classim superiores militari dignitate gaudent, vt Inspectores sint centuriones, *Licutenants et Signiferi* praeceptr̄es. Qui studia ciuilia amplectuntur a cete-

ris distinguuntur, proprio vtuntur inspectore, ad haec nonnullos Professores habent et praceptores; militares in duas centurias divisi sunt; ita arti bellicae et theorettice et practice student. In duabus ultimis classibus etiam omnes artes et scientiae, quas supra enumerauimus, absoluuntur eoque nituntur superiores, vt alumni pro ingenii dotibus quacunque in re excellant. Inspectoribus atque Praeceptoribus quam maxime commendatur, vt humani sint erga alumnos, nec ipsis licet eos aut punire aut vi cogere, alumnos que suos iam ab infantia humanitati assuescere debent. Imprimis in eorum animis excolandis singulari industria procedunt; quum Augustissima Imperatrix non modo subditos velit scientiis praeditos, sed et virtute et probitate. Ad iuuenes recreandos interdum conuentus sunt in Instituto, quibus vterque sexus adesse potest. Diebus festis duae superiores Classes cum Professoribus et Praeceptoribus suis ad aulam Imperatricis se conferunt. Quo studium excitetur, instituuntur examina publica, vbi ii, qui prae reliquis excellunt, donis sufficientur. Classi quintae sine supremis sex nummi memoriales aurei pro praemii designati sunt, quorum priores reliquos subsequentes volumine superant. Qui his praemii condecorantur, aurea signa vesti adfixa gestant, in quibus Numeri 1, 2, 3. etc. laurea circumdati conspicuntur, prouti nummos aut primi, aut secundi etc. voluminis accipiunt. Clasti quartae eodem modo sex nummi destinati sunt, sed argentei. Qui his attestatis honorificis ornati sunt per triennium Imperatricis sumtibus itinera instituunt, et quotiescumque dimissio fit, ex Imperatricis mandato duodecim iuuenes magnae spei hoc commodo

fruuntur. Primum in Rossia, dein quoque in exteriis regionibus itinera sua perficiunt.

Hoc Institutum Medico suo, Chirурgo, qui busdam subchirurgis proprioque pharmacopola instructum est. Pro sexcentis alumnis, octoginta praceptoribus famulisque sustentandis 165000 Rubeli destinati sunt.

Corpus tironum nobilium marinum, *Sec-Cadetten-Corps*, Cronstadtiae est, qui princeps portus classis noualis apud Rossos est. Nulla ratio aetatis eorum, qui in hoc Institutum recipiuntur, habetur. Alumni militum more tractantur, vestiti militari induti; in centurias distributi praefecti subiecti sunt. In omnibus artibus scientiisque, in omnibus linguis et exercitiis erudiuntur; hunc in finem praeter praefectos praecceptores suos habent necessarios. Quum iam aliqua rerum scientia pollut, in re nautica praecipue erudiuntur, cuius theoriam si in examine praemissae satis nosse probarint, ad expeditiones facieandas ea dignitate dimittuntur, quae Garde-Marin dicitur. Peractis duabus expeditionibus, praefecti sunt nauales. Hoc institutum, in quo semper aliquot centena alumnorum versantur, seminarium est praefectorum naualium.

Scientiarum Academia, quae Petropoli est, atque Vniuersitas Moscuenis Imperatricē thronum conscente iamiam fundatae erant, multa autem in utroque Instituto ab ea fuerunt renouata atque emendata. Academiae gymnasium adjunctum est, in quo studiosi multis beneficiis fruuntur. Eodem modo Vniuersitas Moscuenis gymnasio Illustri et scholis adaucta est, vbi multi iuvenes Imperatricis sumtibus educantur, cursusque suos perficiunt.

Non

Non multos ante annos primus Vniuersitatis Curator in vsum iuuenum Nobilium fundauit, in quo propriis praeceptoribus instructi sunt, nec quicquam pro vestitu et visti folunt. Quum autem vtrumque institutum omnibus cognitum sit, propter libelli angustias, iis describendis supercedeo.

Artium Academiam Imperatrix recentissime fundauit. Regitur illa a Praefide, tribus Rectoribus et duobus Rektoribus adiunctis; sex prae-terea Professores habet picturae, sculpturae, architecturae, sexque Professores adiunctos et vnum Secretarium. Adhaec duodecim membra generosae stirpis, totidem ex aliis familiis sexque Con-filiarios Academicos sibi iunctos habet. Academicorum numerus tum praesentium, tum exterorum hand definitus est, et recipiuntur semper viri omni spei satisfacientes. Praeter eos, quos supra iam indicauimus, tres adhuc adsunt Professores Anatomiae, Perspectivae, Historiae, Geographiae, Genealogiae et Mythologiae, vnuis In-specto, subinspector et praeceptores denique ad vsum classium inferiorum.

Omnis Academiae superiores et praeceptores dignitate militari, vt in corpore tironum nobilium induiti sunt, stipendioque anno per omnem vitam fruuntur, si senectute aut infirmitate impediti muneri suo non amplius praeesse valent. Institutum hoc in genere trecentos discipulos continet, qui in quinque classes ita diuisi sunt, vt ad quamvis referantur sexaginta. Infantes ab anno aetatis quinto ad sextum recipiuntur, nulla originis ratione habita; quavis in classe tres annos peragunt. In prioribus tribus Classibus magis ad educationem eorum attenditur ita vt simul et philologia bonarumque artium principiis instruantur.

In

In duabus autem posterioribus Classibus proprii  
veri discipuli sunt, remque ipsam aggreduntur;  
dein pro ingenii dotibus duas in classes subdivi-  
duntur, quarum altera artifices, altera opifices  
continet, et sic semper attenditur, cuinam pree-  
primis arti aut opificio quiuis pro ingenio et ani-  
mo suo aptus sit, ita ut omnibus libertas concessa  
sit, quamcumque artem sibi addiscendam feligen-  
di. In Academia haecce omnes artes coluntur.  
Per opifices intelligendi sunt horologarii, torna-  
tores, opifices organorum, fabri ferrarii eminen-  
tiiores, *Kunst-Schlosser*, ii, qui figuram metallo  
incident, deauratores, qui ex aere statuas con-  
ficiunt, Bronzeurs, et plures alii eiusdem gene-  
ris. Discipulorum industria preamis concitat. Eorum,  
qui ex classe suprema dimittuntur, duo-  
decim semper ad itinera facienda destinati sunt,  
quem ad finem quiuis 1500 Rubelos accipit, quo  
in exteris Academiis artem suam ad summum cul-  
men euehore queant. Quoad progressum studio-  
rum, superiores literis et attestatis certiores red-  
dere tenentur. In Academia tum priuatim, tum  
publice conuentus fieri solent, certisque temporib-  
us opera et Academicorum et discipulorum examini-  
nis causa spectatoribus exhibentur. Huius Institutii  
sumtus quiuis anno 60000 Rubelos adaequant.

Praeterea Imperatricis monumenta recentiora haec sunt potissimum. Hospitalium infantum expositorum, Hospitalium puerarum, quod cum illo coniunctum est; talia Moscuae et Petro-  
poli instituta sunt. Multa millia infantum itaque,  
quia a matribus ob rerum angustias mortem potius,  
quam vitae conservationem sperare poterant, huic  
beneficio instituto et vitam debent et eiusdem con-  
servationem. Multi quoque a parentibus pau-  
perrimis orti neglegti et necessariis rebus destituti-  
cius

citius vix receptum spiritum redderent, aut corpore fragili et infirmo eundem miserrime traherent, ni adeo benigne in locis hisce reciperentur, ubi non modo iustum corporis sui robur acquirunt, sed et ad id vsque temporis spatium sustentantur, quo ipsi necessariis ad vitam degendam prospicere possunt. Sed quum ad animum mentemque eorum aduertas, res attentione adhuc dignior est. Omnes enim ad miseriam ipsam natu-  
ri in omnium rerum ignorantia educarentur; quum enim ea desicerent, quae ad corpus pertinent, de eorum animo minus adhuc sperari posset, adeoque miserrimi tales infantes tanquam inutilia ter-  
rae pondera nullum vnam officium patriae praestare possent. Hinc huic refugio non vitam modo debent, sed et mentem sanam, dum in omnibus scitu necessariis et utilibus rebus erudiun-  
tur, et ita formantur, ut aliquando quoque patriae suae inseruire valeant. Quanta itaque fundatrix munificentia! praecipue quum Institutum huius opes atque fortunae quoquis anno adau-  
geantur.

In puerarum hospitium, omnes quae sese annunciant, recipiuntur. Isdem oculo dies ante partum, duasque hebdomades post illum hic comorari licet. Toto hocce tempore honeste tractantur. Quaevis ingressura ianitor aduentum suum indicat, qui illam diu noctuque humaniter recipere et ad obstetricem ducere tenetur, et ne-  
mo neque in eius nomen neque in quamcunque aliam rem inquirit. Si enim mulier incognita haberet velit, per omne tempus faciem velo obtegere potest. Recens natus in cubiculum infantum transportatur, et catalogo alumnorum inscribitur.

Rece-

Receptio infantum longe aliter efficitur quam ceteris in institutis eiusdem generis id fieri solet; neque mater neque quisvis alius infantem deponens in re quadam examinatur, nisi quod interrogetur, num infans baptizatus sit, nec ne. Infantes etiam a Sacerdotibus ecclesiarum a ptochodochiis et a coenobiis recipiuntur et in instituto traduntur. Quisquis infantem instituto adportat, duos rubelos accipit, quod etiam ipsi matri obuenit. Nemo, ne vigiliae quidem, eum, qui infantem apportat, exquirere audent. Non modo recens nati, sed et infantes duorum, trium imo et quatuor annorum recipiuntur. Praeterea in prouinciis remotis omnes rogantur, vt destitutos egentesque infantes sibi vindicent, per aliquot annos alant, dein autem Instituto committant, ea conditione, vt annum aetatis quintum nondum superarint. Si quis singulis annis, aut una modo vice pecuniae quid ad alicuius infantis educationem soluit, infans ille pro reliquis honestius tractatur, in eoque erudiendo maior cura adhibetur. Recipiendus infans catalogo inscribitur ita, vt dies et signa quaedam vestimentis, in quibus receptus est, notentur, quae numeris signatae in loco quodam ad haec destinato conservantur. Si sancto lauaero haud tintitus erat, eo tincto nomen acceptum sub numero notatur, quem numerum omnis infans vestimento intextum, per omne tempus, quo hic versatur, secum gestat. Per duos annos infantes curae nutricum committuntur. Ab anno aetatis tertio usque ad septimum pueri et puellae diuersis continentur classibus, vt laboribus facilioribus magis affuefcant. Ab anno septimo usque ad undecimum in dogmatibus Christianis inque literis tum legendis, tum scribindis instituuntur. Pueri quoque tibialia, mi-  
tras,

tras, retia, et quae sunt alia eiusdem generis texere docentur; puella fila ducere, texere etc. Ab anno vndeclimo ad decimum quartum usque extra lessionum tempus cannabem, linum et lanan pechinare, puella bombycina et alia ligamina (*Bänder*) confidere tenentur. Ab hoc inde tempore pueri etiam rebus domesticis atque hortensibus, pueriae autem rei culinariae, lauationi ceterisque eiusmodi rebus studient; etiam ad literas legendas scribendasque ut et ad catechismum maiori nunc cura attenditur. Superato anno aetatis decimo quarto aut quinto et pueri et pueriae artes quasdam manuuales addiscere debent. Hunc in finem earum rerum peritis per quadrennium aut quinquennium committuntur, apud quos discipulorum instar hocce tempus peragunt; qui singularem indolem ostendunt, ad artes scientiasque ediscendas destinantur, et principiis imbuti Vniuersitati Moscuae aut artium Academiae, quo incepta ultraius persequantur, traduntur. Qui arti cuidam operam nauant, in ea eruditii per aliquot annos in fabricis Instituti pro mercede eandem exercere tenentur; hisce peractis, vestibus instruuntur, linteis et quinquaginta rubelis, quod idem cum pueris fieri solet, sive artem suam nunc profitentur, vbiunque illis placuerit. Quodsi iuuenes aliquando vxorem ducere velint, eo nituntur ut virginem ducant, quae in eodem instituto educata fuit.

Quoad doctrinam pro cuiusuis ingenio diversis in scientiis erudiuntur alumni. Imprimis autem doctrina Christiana, ars delineandi, arithmeticā, geometriæ, mechanicas et geographicas principia ipsius traduntur; praeterea in institutis legibusque patriæ, in scientiis fabricarum, manufac-



nufacturarum, ceterisque in rebus, quae ad negotiationem pertinent, in oeconomia, agricultura, re hortensi, in artibus denique liberalibus instruuntur, ita ut omnes aliquando patriae commodo inseruire possint. Dimissi ex hoc instituto liberi sunt, neque sub vlo praetextu, ne ipsorum quidem consensu in servitutem transire possunt. Sub tutela eiusdem instituti permanent, quod in omnibus prouinciis Patronos vtriusque sexus habet, qui eorum commodo prouident. Iurisdictionis ratione quoque ad Institutum pertinent, et ab ipso delictorum granum ergo foris competentibus traduntur. Dum libertate gaudent, domos emere, officinas atque manufacturas instituere, omniaque peragere negotia possunt. Hi itaque ciuium numerum quouis anno adaugebunt artes et scientias propagabunt, sive patriae maximo erunt emolumento.

Hospitium infantum expositorum, quod Petropoli est eodem modo gubernatur; eosdem cum prioribus habet curatores, sed non tot alumnos continet, neque tot diuitiarum fontibus instructum est. Aedificium Instituti magnificum est, et quouis anno nouis accendentibus augetur, quo maiorem alumnorum numerum capere possit, qui nunc e tribus millibus vtriusque sexus constat, quique singulo anno increscit. Ad Institutum tantae magnitudinis sustentanda magnis opus est sumtibus, ad quos Imperatrix et Magnus Dux magnas pecunias largiti sunt; sunt et homines quidam priuati, generosi, qui multa bona his Institutis dono dederunt. Institutum Moscuense haud procul a Moscua multa funda possidet, in quibus olera et alia ad victum necessaria coluntur, quaeque quoque lac ad infantes nutriendos exhibent. Maximas vero eiusdem opes in eo consistunt,

stunt, quod magnas pecuniae summas, quaes plus quam 2000000 Rubelos valent [quique foenori] collocati sunt possideat. Ad id peragendum, propria instructum est mensa foeneratoria. Ob sum-  
mam quoque, qua hoc Institutum gaudet, fidem multas pupillorum pecunias hoc modo apud se depositas habet. Praeterea etiam parentes, si liberis suis aut cognatis pecuniae quid occulte concedere velint, eorum nomine eandem hic deponunt, et sequenti tempore pecuniae cum foenibus iis, ad quos pertinent, exhibentur. Praeterea Institutum hoc quoque negotiationem quandam exerceat, quam Lombard vocant, quoque pecuniae contra mobilia deposita foenore dantur, qua ex re magnos percipit fructus. Ad haec omnes theatrorum aliorumque spectaculorum directores quartam redditum partem Instituto tradi-  
dere tenentur. Etiam officinas habet, et omnis generis manufacturas, in quibus alumni simul erudiuntur. Materia mercium, et ipsae merces ab alumni praeparantur, ut Institutum in iis vendendis magnos percipiat fructus. Multis quoque privilegiis gaudet; redditus sumptus faciendo semper supererat, et licet eius opes quam maxime nunc sint adauiae, quoouis tamen anno adhuc magis augebuntur.

Dirigitur hoc Institutum a summo Curatore, qui iuxta leges fundamentales stirpe generosa ortus gratiaque Imperatricis dignus esse debet, quo omni opera patriae commodo studeat suoque muneri cum dignitate praefit. Vir hicce semper in Imperatricis aula versatur, simul et hospitii infantum expositorum administrationi, quod Petropoli est, incumbit. Omnes mutationes, omnia, quae sunt instituenda, omnes sumtuum rationes

E

ipsi



ipsi inuestigandae commissiae sunt. Instituti Mo-  
scuensis directio immediate ad pupillorum Consilium pertinet, quod sex viri generosi constituunt, qui tutores vocantur, quiue vnice patriae amore hisce officiis funguntur. Consilium hoc quavis septimana aliquoties conuenit, sicutque omnia, quae Institutum respiciunt, deliberantur atque diuidicantur. In oppidis et prouinciis patroni vtriusque sexus symbola colligunt et alumnos patrocinio suo dignos commendant. Sunt etiam multi illustres, qui pietate induiti hoc officio funguntur, qui Instituti proposito, quod magnum fane est, respondent. Summus director, quiue a consilio pupillorum est, solus et immediate omnia, quae in conuentu deliberata fuerunt, exsequitur, et peculiarem Instituti administrationem habet. Reliqui omnes ipsi, tanquam patrifamiliae subiecti sunt. Puellae foeminam tanquam summam directricem habent, quae tamen mox dicto directori omnia communicare tenetur. Praefectus aerarii et oeconomi thesauro et rei domes-  
tiae summo directore duce, praesunt. Institutum hoc quoque suis ecclesiasticis, Medico, Chirурgo, obstetricibus, praeceptoribus proque alumnorum numero, nutricibus famulisque vtriusque sexus instructum est. Huic Instituto paucos ante annos aliud adhuc sumtibus aliquius diuitis acceſſit, quod licet ab illo separatum eidem tamen consilio ei-  
demque directori subiectum est. Schola est ad mercatores formandos, in qua centum pueri in scientiis artibusque erudiuntur; vestibus necessariais gratis instruuntur et sic educantur, vti quiuis mercator opibus abundans liberos suos educare solet. Beneficium hoc praecipue liberis mercatorum dicatum est. Viginti semper dimituntur, toti-

totidemque in eorum locum recipiuntur. Proprios inspectores, praeceptratores et faunulos hoc institutum habet.

Omnia haec mox dicta Instituta in rebus civilibus moribusque emendandis magnam vim exferunt, quae suo tempore adhuc magis conspicua erit. Liceat enim ordinibus quibusdam incolarum magno emolumento sint, imperio tamen adeo vasto nequaquam sufficiunt. Quod cum perspexisset Imperatrix, operam dedit, ut in omnibus Imperii vrbibus scholae frequentiores essent; quumque olim ratione huius nulla praecpta extarent, huic incommodo medendi causa peritissimos quoscunque pueros, linguae latinae compotes, et scientiarum principiis aliqualiter imbutos Petropolin migrare iussit, vbi per triennium in novo illo Instituto Academico in lingua germanica et in ipsis scientiis vterius instruuntur. Summo enim directore inspectore, philosophia, mathesis, historia tum naturalis tum ciuilis nec non physica ipsis traditur. Linguarum exterarum germanicam modo introducendam existimauit Imperatrix, quum illa subditis suis vario modo utilitati esse possit ob finitimos Polonos, Borussos et Suecos, quumque Germani multa scripta in sua vernacula edant non modo sed et ex aliis linguis traducant, optimos Auctores et Gallicos et Britannos hac in lingua legere possunt. Ceterum Imperatrix in animo habere videtur, mores gentis suae ad germanorum mores conformare, quem in finem eos eorum scripta legendo ad imitationem excitari arbitratur. Hoc ex Instituto iam hoc anno centum Candidati prodibunt. Prius in omnibus Guberniorum vrbibus, dein autem etiam

fic continuando in circulorum oppidis scholas instituere tentat. Omnibus praceptoribus mercede instrutis ab Imperatrici, nil soluitur. Optandum esset, et spes quoque assulget, ut eiusmodi institutiones ad rusticos quoque aliquando propagarentur.

### SECTIO III.

D E

## OPPIDANIS EORVMQUE IVRIBVS ATQVE OBLIGATIONIBVS.

§. 15.

**O**ppida apud Rossos eandem originem habent, ac apud alias gentes. Cuiusvis enim regionis incolae, qui contra hostium irruptiones se munire tentabant, arces primum considerunt, quae ab initio nulla alia accedente arte, nil nisi fossa circumdatae erant. Terra effossa aggeris loco fossam inter et oppidum erat; aggeri murus implantabatur ligneus ex trabibus conflatus, quae sibi respondebant et similibus trabibus transuersis corroborabantur, domiciliorum ad instar, quae eodem modo aedificantur, quaeque septentrionalibus in regionibus admodum vulgaria sunt. Haecce ratio se fuisse muniendi olim incolas contra hostium impetum tutos satis reddebat. Omnes itaque oppidani iam ab ipsa origine ad oppidi sui defensionem omnem animum aduertebant, nec defunct exempla, quae de mulierum etiam fortitudine testantur, quae in urbis obsidione, non lapides modo, aquam ebullientem, et quae sunt eiusdem generis plura apportabant, sed et armatae

tae hostes ipsos fortissime aggrediebantur. Si bella geregabantur, quod quis oppidum suum militum numerum suppeditabat; omnes dimicandi compotes conseribebantur cumque ducibus suis ad locum a principe designatum se se conferebant. Omnes causae grauiores in Consilio oppidanorum deliberaabantur, quae Wetscha dicebantur, quod Sclavonico idiomate rei alicuius communicationem denotat. Nobiles etiam circumiacentis regionis his concionibus adesse remque communem cum oppidanis habere solebant. Ceterum oppidani magistratus suos ipsi sibi creabant, qui pacis tempore iudices, tempore vero belli duces erant. Annales istorum temporum imperandi modum vrbis Nowogorod nobis conseruarunt, quae olim inter principes Rossiae vrbes locum tenebat, magnisque fruebatur priuilegiis, ut ad seculum usque duodecimum foederatis vrbibus adnumeraretur. Imperium democraticum erat, summus, quem vocant, Pozatsky tam in ciuiis quam bellicis rebus plurimum valebat; eidem ad sociatus fuit senatus, cuius membra Boiari appellabantur. Alii iterum erant, qui Dezatsky dicebantur, quique iura plebis contra Pozatsky defendebant, ut comoda cum priscis Romanorum tribunis comparari possint. Quaevis vrbis in suas partes ita diuisa erat, ut cuius parti Starosta, sive Senior praefuerit. Senatus conuocato incolae de omnibus rebus publicis deliberabant, sententiamque ferabant; senatus conuocatio peculiari campana indicari solebat. Omnia oppida Principem suum habebant, qui grauiori bello exorto Imperatoris officio fungebatur; sic et Nowogorod: vrbis suum quoque habebat. Principibus autem nullum ius in oppidanis exercere licitum erat, eos modo

defendere ipsis incumbebat, et si ipsis sua in causa bellum erat gerendum, ab oppidanis auxilia poscere debebant. Proprii erant ipsis redditus, quibus se aulamque suam sustentabant. Nullum onus incolis imponere, nullamque partem reipublicae administrandae sibi vindicare audebat; talibus finibus iporum potentia erat circumscripta, quibus apud Batauos Princeps reipublicae haereditarius, quem *Erbfstadthalter* vocant, moderatus tenetur; quodsi enim in iporum odium incideret, seditione facta alium sibi eligeant Principem, de quo multa exempla in historia prostant.

Hac in conditione oppidani ad seculum usque decimum et quintum permanerunt iuraque sua et priuilegia retinuerunt. Principes enim haereditates faepissime dividendo, bellis quoque intestinis ita debilitati erant, ut nequaquam viribus pares essent oppidanos iuribus suis priuare; ut potius, dum iporum auxiliis egebant, eadem humanitate, qua cum nobilibus, etiam cum illis agere coacti erant. Accedit, quod, Tartaris in Rossia imperium exercentibus, Principes suam potentiam adhuc minus adaugere potuerint. Vario autem modo oppidanorum libertas sese habuit, finibus interdum plus minusue arctis limitata. Quodsi Princeps ingenio animoque valeret, non defuit ipsi occasio opes suas adaugendi et quidem oppidanorum incommodo; id quod autem ad breuissimum modo tempus durabat.

Ceterum probabile est, democratiam hanc saepius turbis ciuilibus afflictam fuisse. Quodsi enim Romae, in Graecia, quarum incolae quam maxime exulti erant, a plebe saepius crudelissima facinora committerentur, quid de populo spe-

-culib

rari

rari potest, cuius mores inculti continuis bellis inhumaniores adhuc reddebantur? Rossorum historia hanc veritatem satis superque attestatur.

Temporibus priscis oppidani agris suis, mercatura spoliisque bellicis viuebant. Nobiles, qui in oppidis domicilia sua fugebant, praediorum redditibus fruebantur; reliqui incolae negotiationi dediti longe lateque itinera faciebant. In foederibus, quae Magni Duces cum Imperatoribus Constantinopoli inire solebant, semper Rossicorum mercatorum mentio fit, ut itaque multis priuilegiis instruti libere ac secure Constantinopoli negotiari ipsis licitum esset. Quando domi bella fedata omniaque quieta erant, Principem sollicitabant, quo ipsis aduersis finitimos, imo et remotissimos populos armatos duceret; bella cum graecis cumque regni Astracan et Casan incolis gesta, hoc testantur. Nauibus Boristane et Wolga fluminibus Constantinopolis usque vehebantur; Cata-ractis eiusdem fluminis non terrebantur; nauibus exoneratis illas superabant, et deinde naues iterum replebant. Cum modo in finem bella haec gerebant, quo hostium praeda fese locupletare potuerint.

Circa finem seculi XV. oppidanorum conditio mutationem quandam subiit. Magni Dukes sede sua Moscuam translata ceteros Principes quouis die magis magisque opibus superabant. Demetrius cognomine Donskoi multos Principes partim haereditatis iure, partim vi sub suam redigit potestatem. Tartari bellis intestinis debilitati sensim sensimque imperio priuabantur. Iam Ivan Baslowitsch Magnus Dux Chanum Casani subegit. Primus Czar eius nepos eiusdem nominis non modo regna Casan et Astracan, sed et

totam Rossiam suae subiecit potestati. Vrbs Nowogorod itaque iam sub Magno Duce Iwan Basiliowitsch, de quo mox sermo fuit, libertatem suam amisit; nunc Imperii forma fuit mutata, et Gubernatores instituti sunt. Si verum est ex imperio democratico multa mala, multasque discordias oriri, nec Rossiam vñquam sine eiusdem abolitione ad conditionem stabilem peruenire potuisse, tamen non est inficiandum in licentia coercenda et reprimenda magnam adhibendam esse moderationem. Summa enim Magni Ducis eiusque Neptoris, quos supra nominauimus, crudelitate famulum est, vt Nowogorod vrbs ex summa libertate in sumnam redigeretur sernitutem. Cetera oppida, cum ita res fese haberet, timore prohibiti a libertate iuribusque suis defendendis desistebant, et ita communem sortem subibant. Gubernatores, oppidis praeficiebantur, quos Woewoda appellant, qui absoluta potestate principis nomine omnia regebant. Oppidanis onera quaedam imponebantur, in quibus colligendis admodum vexabantur. Principe defuncto, aut in aliis causis gravioribus aliquid libertatis oppidanis adhuc reliquum erat. Cum enim Boris Godunoff, Michael Schuisky et Michael Phedorowitsch reges, Czar, crearentur, nobiles in oppidis viuentes, mercatores aliquie incolae sententiam suam tulisse dicuntur. Praeterea conuentui, quem Michael Alexewitsch Veraniam sub tutelam suam recepturus instituit, mercatores adfuisse traditum est. Quae qualiacunque sint, reliquias tamen quasdam libertatis ostendere videntur. Mutatione hacc insigni, quam subiere oppidani, diuerfas in classes fese separarunt, quum alii negotiationi, alii legibus studere, muneraque inferiora in foris atque can-

cancellariis administrare, alii opificiis, alii vehiculis vehendis sese applicare incipiebant. Prima classis mercatorum erat, quorum negotiatio pro locorum situ varie se habuit; Conueniebat ipsis tirones sistere censusque et alia onera praestare. Classis secunda scribarum erat. Filii eorum a prima pueritia in foris cancellariisque describendo inserviebant. Interea primum legum formalia, dein et ipsa earum materialia addiscebant. Cum omnibus iudiciis omnibusque reliquis muneribus in foris homines militares praeficerentur, legum scientia ad hos modo scribas pertinebat. Plerumque in cancellariis secretarii erant, fortuna autem fauente, aut si scientia sua excellerent, etiam maiores honores adipiscabantur. Magnam autem auctoritatem habebant in foris, qui iuris admundum periti erant. Haec incolarum classis ab omni tributo immunitis erat, et qui munere quoque carebant, hoc priuilegio tamen fruebantur; quam ob rem hos homines in peculiarem classem referendos existimauit, quum et hodie adhuc sub nomine Podjatschii superfint. Ad tertiam classem Pozatzkie pertinebant, quod latine praesidiarios denotat. Horum origo ab iis dicitur, qui prisca temporibus oppido praefidio erant, quique propria domicilia, hortos et prata habebant, atque negotiis oppidanis viuebant. Militiam facere debebant, praetereaque nihil. In classe quartae aurigae erant, suburbium incolentes, qui multos agros atque armenta possidebant. Nullum fere vestigal soluebant, ast ex imperantibus mandato omnes homines et ciuiles et militares ab una statione ad alteram pro minima mercede vehere tegebantur. In ruribus etiam stationes institutaerant, et rustici iisdem priuilegiis vtebantur,

quae aurigis oppidanis erant. Omnia, quae ad currum publicum, ad epistolas transportandas pertinebant, aurigae curabant, quibus tamen plus erat soluendum, quam iis, qui Imperantis mandato iter faciebant. Opificia pauci oppidanorum profitebantur; cum enim a tempore quodam Nobiles priuilegio gauderent omnia necessaria per suos conficiendi, eorumque incrementum luxus exposceret, Nobiles subditos suos ab exterris opificibus erudiendos curabant, quos cum interdum magno in numero haberent, superfluis licentiam abeundi dabant, qui artem dein suam in oppidis profitebantur, incolasque necessariis rebus instruebant. Videbimus in Sectione IV. rusticos magna ex parte opifices fuisse, quoque opificio plerumque, quae ad vitam necessaria sunt, sibi comparasse.

Quodvis oppidum Principem habebat, qui Woiewoda dicebatur, quique cum in iustitia, tum in disciplina publica administranda primum locum tenebat. Adiunctus ipsi erat Collega, secretarius, multi praeterea ministri inferiores; in vettigalibus exigendis praefecto vtebatur nonnullis cum focis. Woiewoda ille non modo iustitiae in oppido praerat, sed et omnes eiusdem partes in circulo oppidi curabat. Aliquot oppida circulorum sub Cancellaria erant Woewodae oppidi provincialis, qui totidem iudices habebat praeter Procuratorem, cuius officium erat id agere, vt leges obseruarentur. Haecce tribunalum conditio, misera fane, magnis mutationibus, vti postea videbimus, occasionem dedit.

Iam ante Petrum magnum multi Reges, (Czar) oppidanorum mercatura cum exteris gentibus auxilio subuenire tentabant. Petrus autem omnium pri-

primus suae gentis negotiationem in meliorem statum redegit. Subiectis ipsis prouinciis, quae olim Suecis erant, fontem ad negotiandum subditis suis aperuit plane novum et foecundum. Qui enim populus portum Petropolitanum non adit? quis ignorat, fabricis manufaturisque institutis Rossorum negotiationem hodie frequentissimam esse atque amplissimam?

§. 16.

Vix autem Augustissima Imperatrix coronam adepta erat, quum statim ad negotiationem atque oppidanos animum attenderet. Collegium negotiationis et manufaturarum instituit, quod fabricas iamiam institutas in meliorem conditionem redigere curat, eos autem, qui nouas fundare in animo habent, multis pecuniis adiuuat. Conceditur praeterea his fundatoribus ad negotia sua facilius exequenda funda subditosque emere, quod priuilegium nemini antea, nisi Nobilibus datum erat. Permitit autem id Imperatrix, quo Negotiatores magnis opibus praeditos, ita ut funda sibi comparare possint, ad fabricas fundandas excitat, iisque praeter hoc adhuc alia priuilegia concessit. Nec frustra tantam curam impendit Imperatrix, manufacturae enim et fabricae tanto nunc extant numero, vt non modo imperium, verum etiam alias gentes facile omnibus mercibus instruere possint. Omnis generis pannos, qui *Stoffe* dicuntur, ex auro, argento, ferico, vti holofericum, pannos quoque subtiliores ex lana, lino et gossipio conficiunt; quae negotiatio per regna Casan et Astracan cum Peris Indisque commode agitur; cum inde optimum fericum atque gossipium vilis pretii Rossi sibi comparent. Praeterea quo-

quoque Imperatrix in regionibus meridiem versus  
fatis mororum plantaria fundare curauit, subditos.  
que suos ad bombycis culturam omni opera exci-  
tare videtur, quo aliquando sericum rossicum  
productum fieri possit. Cannabis et linum copiose  
admodum in Rossia coluntur, quae producta olim  
cruda exportabantur, nunc autem magna ex parte  
ita in patriae fabricis praeparantur, vt exteris  
gentes carbo linteisque varii generis instruant.  
Fabricae armorum chalybis, ferri, cupri atque  
aurichalci, toti genti mercibus abunde prospiciunt.  
Fabricae vasorum porcellanorum, fabricae spe-  
culariae, vitriariae tantam sui nominis famam  
assecutae sunt, vt Rossia exterorum mercibus ne-  
quaquam egeat, quum quaecunque necessaria ex  
suis fabricis accipere possit. Quod enim et hodie  
adhuc exterorum merces importentur, luxuriae  
adscribendum eorum, qui suis bonis haud com-  
tent, patriae merces contemnunt, aliasque aliorum  
quaerunt, quae licet pro earum importa-  
tione magnum vestigal soluendum sit, tamen  
emuntur.

Quod ad nauigationem pertinet, multis pri-  
vilegiis donisque subditos suos excitare Impera-  
trix tentat, vt nunc Rossorum mercatura marina  
egregie floreat. Ad hoc consequendum A. 1781  
more aliarum gentium, quae mercaturam mari-  
nam exercent, legem tulit, qua omnia ad hanc  
rem pertinentia accurate definiuntur eo vsque vt  
et nautarum officia determinentur. Oppidanos quo-  
que a multis incommodis deliberauit Imperatrix;  
Anno enim 1775 vna vice ipsis septem et quadra-  
ginta onera abstulit, in quibus exigendis a por-  
titoribus quam maxime vexabantur. Id sibi re-  
serua-

feruant, vt mercatores a pecuniis suis, quas in negotiatione collocatos habent, vnum pro centum soluant; publicationem ipsam pecuniarum mercatorum fidei commisit, nec vlo modo inuestigationes aut accusationes falsae publicationis causa deferre licet.

A. 1782 noua plane disciplina publica in oppidis instituta fuit, et cuius oppido forum eiusdem disciplinae datum fuit. In hoc primum locum tenet, qui *Policey-Meijer* dicitur, idque in duabus primariis vrbibus; reliquis in oppidis is primus est, qui *Landvogt* dicitur. Quoduis oppidum praetera in aliquot partes diuissim, quorum singulare inspectorem habent et praefectum, qui omni publicae disciplinae prouidere debent; in quam si peccatur, re examinata foro eandem communicare tenentur. Cuius parti etiam index verbalis datus, qui omnes causas minutiores verbis indicat, singulas sententias libro peculiari inscribit, omnia dein foro disciplinae publicae comunicaturus.

Cuinis oppido adiunctus est circulus, in quo iustitia ab oppido administratur, nec omnino deprehenduntur oppida, circulo tribunalibusque destituta, exceptis oppidulis quibusdam, quae quouis anno, aut quauis hebdomade nundinas habent; sed haec ad rura pertinent, hinc oppidorum iuribus quoque carent. Cum recens guberniorum reformatio locum haberet, repertus est oppidorum numerus pro tam vasto Imperio admodum exiguis, ita vt, si circuli oppidorum ratione distribuerentur, illi iusto vastiores fierent, quod Imperatrici omnino displacevit. Fundata itaque sunt noua oppida partim ex vastis diuinitum in-

col-

colarum ruribus, quae Imperatricis erant et ad negotiationem praeterea commode sita erant, partim et ex integro condita incolisque instructa, ut nunc omnino usque ad ducenta et sedecim oppida recentissime fundata adsint; numerus eorum semper adaugebitur, quum loca Imperii deserta quovis anno incolis instruantur,

Non possum silentio praeterire hac Imperatrice in regnum succedente duas tantummodo vrbes fuisse, Moscuam scilicet et Petropolin, in quibus Nobilium familiae fedem suam habebant, ibidemque praecipue aliquam hiemis partem transigebant; omnia reliqua oppida non nisi a quatuor ipsis oppidanorum ordinibus incolebantur; cum autem homines munere quadam civili induiti exiguo numero essent, necessario et conuersatio parua et tristis erat. In Guberniorum autem reformatione, cum multa oppida et guberniorum et circulorum fundata fuerint, quodus oppidum certum numerum incolarum habet, qui aliquo munere funguntur. Dein theatra, saltationes solemnes omnisque generis delectationes tam privatim, quam publice institutae sunt, quae olim Nobiles hiberno tempore Moscuam aut Petropolin alliciebant; cum autem in eorum vicinitate oppidum est, ubi hiemem suauiter transigere possunt. Praeterea, quum haud procul a praediis suis absint, non tot sumtus ad viictum comparandum impendendi sunt, quum omnia secum aduenire possint. Mores autem gentis eo excoluntur, cursus nummorum communior sit et imperio oppida erunt incolis abundantia. Eadem ob causam nimium incrementum paucorum oppidorum impeditur, quae antea omnibus diuitiis hominibusque ceterorum incommodo abundabant, nunc autem

autem et fortunae aequaliter distribuuntur et morum cultus. Omnia secundum Imperatricis spem euenerunt. Lege, quam de oppidanis et hoc adhuc anno publicauit, omnia iterum repetendo confirmat, quae oppidanorum in commodum ab initio statim regni sui instituit, multaque adhuc dona reliquis adiicit. Lex haec de oppidanis admodum distincte et accurate est conscripta; legatrix eandem tanquam legem Imperii fundamentalē in perpetuum obseruandam praecipit. Omnes incolarum ordines accurate definiuntur, noui prioribus adduntur, et cuiusvis ordinis iura atque obligationes accurati exponuntur. Epitome legis huius, quae paragraphe sequente continentur lectores distincte statum oppidorum praesentem docebit.

§. 17.

In introduktione legatrix in genere de utilitate oppidorum agit, quam non modo incolae ipsi, sed et vicini rustici percipiunt. Maximos antiquitatis viros, quo nomen suum immortale redderent, oppida extruxisse ait; exemplum adducit Sclauonum, a quibus Rossi originem trahunt, qui multas vrbes cordidere, de quarum conditoribus ipsa nomina adhuc testantur. Praeterea, quia Imperium adeo vastum sit, productisque omnis generis abundet, populus autem nec industria nec ingenio destitutus, cum adhaec subditi numero augeantur cumque ipsis eorum fortuna, oppida augmentationem postulasse dicit; quam ob rem in diuersis Imperii locis pro regionis situ, aut incolarum copia ducenta et sexaginta oppida se condidisse dicit. Denique legatrix confitetur, sua incepta a Deo esse adiuta, ut operum suorum fru-

fructus satis superque percipiat, quam ob rem se  
hac lege et iura et commoda sequentia oppidanis  
in perpetuum concedere velle affirmat.

A. Praecepta generalia.

1) Quoduis oppidum secundum formam ab  
ipsa Imperatrice delineatam condi debet.

NB. Imperatrix omnibus oppidis formam regula-  
rem praescriptis, quae obseruanda est. Quae  
oppida ex integro conduntur, illico formam  
hanc sequuntur, quae vero iam fundata sunt,  
semper sensim secundum eam transmu-  
tantur. Aedificia incendio deleta et omnia  
reliqua aedificia condenda huic formae sub-  
iecta sunt. Aedificia ex saxis constructa,  
quantum fieri potest, in statu suo permanent,  
quae vero ex trabibus conflata sunt, dislo-  
cantur, quod absque magnis sumtibus fieri  
potest, quia trabes sibi inuicem adiunctae  
facile et separari et iterum coniungi queunt.  
Secundum hanc formam multa iam oppida  
condita extant cum plateis datis rectisque.

2) Cuius oppido legislatrix plenam et per-  
petuam fundorum possessionem confirmat,  
huc prata pertinent, agri atque horti, de-  
pratis his pro lubitu disponere ipsis licet, sed  
si aliorum vsu occupantur, alia sibi compa-  
rare haud licet.

NB. Haec adstrictio praecauet, ne oppidanis  
agros suos minuendo, vicinorum posses-  
siones adangeant, quod si fieret, a proposito  
suo detinerentur, et ita agriculturae noce-  
rent.

3) Oppidani domos proprias possidentes iu-  
re iurando obedientiae se adstringere debent.

4) Gu-

- 4) Gubernatoribus omnibusque superioribus defenditur, sub quounque praetextu id fieret, oppidanis noua onera imponere; quod si tamen accideret, magistratus eius oppidi causam ad magistratum gubernii deferat, qui eam senatu communicet, a quo Imperatrix ipsa informari debet, nec omnino quicquam sine Imperatricis consensu mutare licet.
- 5) Magistratus oppidi omnia peragenda gubernii magistrati communicare tenetur, qui eandem ad iudicium gubernii deferat.
- 6) Magistratum omnium domicilia, aedificia, loca deserta catalogo numeris consignare oportet, quo in vendendo aut oppignerando quisquis confidere posse, absque ut rem diu inuestiget.
- 7) Qui negotia oppidana agunt, etiam vestigalia oppidana soluere tenentur.
- 8) Qui ad incolas non pertinent, his etiam oppidana negotia peragere non licet.
- 9) Si quis in oppido quodam negotia sua exercet, ibique omnibus emolumentis incolarum fruitur, sedem autem suam alio in loco habet, is praestanda huic oppido praestare tenetur et magistrati quoad negotia sua paret.
- 10) Qui Nobiles in oppidis domos possident, cum reliquis eadem vestigalia solvunt; quia autem Nobiles sunt, pro sua persona nil praestant.
- 11) Qui muneri alicui aut ciuili aut militari praefixi sunt, nec negotia oppidana exercent, ab omnibus oneribus liberi sunt.

F

12) Om-

12) Omnia domicilia Consulum, Senatorum, aut eorum, qui rofice *Capita ciuium* dicuntur, ab hibernatione militum liberi sunt.

13) In quoquis oppido scholam publicam secundum formam ab Imperatrice designatam fundare iussum est.

14) Omni oppido cuiusuis generis molas in fundis suis aedificare licet.

15) Etiam hospitia publica, et tabernas diuer-  
forias exstruere licet.

16) Incoleae emporium commune aedificare, aut tabernas atque horrea sua prope domi-  
ciliū habere possunt.

NB. Olim nemini tabernas in domo sua habere  
licebat; quonis in oppido emporium erat,  
vbi quiuis negotiator tabernam suam habere  
debebat, quod ideo ita institutum fuisse vi-  
detur, vt negotiatio furtiuā impeditur,  
cum enim omnes merces externae signarentur  
nemo illas publice in taberna vendere au-  
debat; si non essent signatae.

17) Omnia pondera et mensurae signo publico  
signari debent.

18) Quoduis oppidum fidei publicae causa ho-  
minem habere potest, qui Braker dicitur,  
qui omnes merces, antequam transportan-  
tur examinare debet, et, quod bonae sint,  
attestari.

19) Merces aut terra aut mari pro lubitu in  
alia loca vehere oppidanis licet.

20) In quoquis oppido quoquis anno aut quavis  
hebdomade nundinae instituendae sunt pre-  
lubitu incolarum et situ ipsius oppidi.

21) Op-

- 21) Oppidanis naues et omnes res nauticas sibi comparare licet, ita ut easdem ipsi aedificant, aut aliis ex locis arcessant, quibus merces transportare possunt, quounque velint.
- 22) Quocunque oppidum Insignia propria ab Imperatrice confirmata accipit, illis in omnibus causis oppidanis subsignare tenentur.
- B. De oppidanis ipsis,
- 1) Omni triennio incolas cuiusvis oppidi Summi Gubernatoris concessione, convenire oportet, quo in conuentu omnes Magistratus creantur, vti consules, iudices, et is qui Rossis caput ciuium dicitur, etiam in oppidis guberniorum magistratus gubernii, et iudices conscientiae a mercatoribus certisque incolis eliguntur. Omnes in tres annos creantur, quibus elapsis de novo convenient.
  - 2) In collegio disciplinae publicae eiusdem praefectus duos collegas ex assessoribus magistratus sibi adiunctos habet.
  - 3) Electio sententiis ferendis sit et quidem pilis, si plures adiuntur candidati, eodem modo sententiae colliguntur.
  - 4) Cuiusvis oppidi incolae aedificiam pro conuentu suo et etiam Aechium habere possunt insignando oppidi insigni videntur, proprio aerario, oeconomis et scribis gaudent.
  - 5) Cuius magistratus in oppidis iudicium adiunctum est, commodo viduarum ac orphanorum prospiciens, in quo caput illud ciuium, duo membra magistratus et senior sedem votumque habent. Ad hoc iudicium non solum orphani eorumque fortunae, ve-

rum etiam viduae cum suis fortunis pertinent, quos omni cura tueri debent.

6) Ad haec munera, quae supra nominauimus, non nisi homines eliguntur, qui annum aetatis vigesimum et quintum iam superant, que eiusmodi opibus instruti sunt, ut quinquaginta rubelos redditum annuorum habent. Omnes reliqui hisce destituti non eligi possunt.

7) Qui annum aetatis vigesimum et quintum nondum superarunt, neque mox dictos redditus annuos habent, adesse quidem conuentibus possunt, in iisdem autem nullum votum habent.

8) Qui aliquod delictum perpetrarunt, his conuentibus adesse non licet.

9) Quouis in oppido catalogus vniuersalis incolarum conficiendus, quam ad rem quoquis triennio senior cum nonnullis legatis eligendus, qui hunc catalogum secundum formulam praescriptam et incipere et continuare debet. Catalogo omnia nominatum baptismatum tum familiae sunt inscribenda, qui aut funda, aut domicilia possident, aut e quadam societate opificum sunt.

10) Qui feso catalogo inscribere noluit, etiam oppidanorum priuilegiis non fruuntur.

11) Quoduis oppidum ab Imperatrice documentum accipit eius nomine signatum, in quo omnia incolarum iura et priuilegia expoununtur.

C. De formulis, quae in catalogis obseruandas sunt.

1) Om-

a) Omnes incolae tabellis quibusdam conscripti a Capite ciuum dein communi catalogo inscribuntur, qui in sex partes diuiditur.

a) Prima in parte omnes oppidani sensu strictiori recensentur, et quidem eorum nomina vitaeque genus; huc omnes pertinent, qui in oppido sedem suam fixam habent, quique aut domicilia, aut funda possident.

b) Ad partem secundam illi pertinent, qui in vna ex tribus societatibus sunt, quibus si quis inscribi velit, pecunias suas publicare debet, quo facto omnes nulla generis ratione habita recipiuntur. Quorum pecuniae a 10000 vsque ad 50000 Rubelos ascendunt, ad primam referuntur societatem, qui a 5000 vsque ad 10000 Rubelos possident, in secunda sunt, quibus denique 1000 ad 5000 rubeli sunt, ad tertiam societatem pertinent.

NB. Vox societatis hoc loco non opificum corpora diuersa designat, sed homines, qui Capitalisten dicuntur, qui quovis anno Imperatrici vnum pro centum soluunt, ceterumque, quaevis negotia pro lubitu agunt, neque alia vestigalia exhibent.

c) Ad partem tertiam societas opificum referuntur, et ita omnes opifices, magistros, socios et discipulos comprehendit.

d) In parte quarta illi continentur, qui ex aliis oppidis artis suae profitendae causa hic sedem suam posuerunt.

e) Ad partem quintam homines notabiles pertinent ad hos referuntur

- 1) qui vna vice iam omnibus muneribus secundum ordinem functi sunt iterumque electi et secunda vice hisce muneribus cum laude praefuerunt.
- 2) Homines eruditii, qui diplomatis aut attestatis eruditionis sua ab Academia aut Vniuersitate instructi sunt, quique a summis Institutis rossicis examinati tales habiti sunt.
- 3) Artifices, veluti pictores, Architectae, sculptores atque ii, qui Musicalia componunt, qui omnes aut membra cuiusdam Academiae aut attestato a rossicis Institutis instructi esse debent.
- 4) Homines, qui vi tra 50000 Rubelos possident,
- 5) Qui Banquiers dicuntur, quique syngraphis negotia agunt, et 10000 ad 20000 Rubelos possident.
- 6) Negotiatores, qui non in tabernis mercantur, sed ampla negotia agunt.
- 7) Nauium possessores, qui proprias naues per maria mittunt.
- 8) In parte sexta illi sunt, qui Pozafkie, praefidarii dicuntur, ad quod omnes referendi, quos partibus quinque superioribus haud anumeravimus, quique servilibus artibus atque laborando vitam sustentant.
- 9) Omnes sex partes catalogi in Alphabeti ordinem rediguntur.
- 10) Nemo inscribitur, nisi ante vitae genus indicauerit, quam ob rem cuius familliae attestata capiti ciuium ad examinandum exhibenda sunt.

40 A

- 4) A societate quavis definiendum est, quantum familiae catalogo sese inscriptuae thesauro oppidi soluendum sit, gratificatio autem haec non ultra 100 rubelos esse debet.
- 5) Quando catalogus confectus est, quodvis Caput ciuum eundem omnibus recitare, et dein in Archivo oppidi conseruare tenetur; vnum exemplar tribunalii gubernii, alterum camerale exhibendum est.
- 6) Omnis mutatio in primo conuentu catalogo inferenda est, ut eius continuatio semper ordinem seruet.
- D. Quibus testimonii ordo oppidanorum probandus sit.

Testimonia haec magna in quantitate sunt, et sine omni partium studio examinantur, sed in primis huc catalogi ecclesiarum, testimonia sacerdotum et concionis publicae, catalogi vniuersales Imperii, et quae eiusdem generis plura sunt, pertinent, ut modo probari possit, quibus parentibus is, de quo agitur, et in quonam ordine natus et quo vitae genere vsus sit.

- E. De iuribus propriis incolarum sive ciuium.
- 1) Ordo ciuium hereditarius est.
  - 2) Ciues a iudicibus ex suis indicantur.
  - 3) Omni ciui cuiusvis generis machinas textorias instituere licet.
  - 4) Qui ciuem aut verbis aut re ipsa offendit, tantum ipsi soluere tenetur, quantum Imperatrici et thesauro oppidi quotannis vecigialis soluit; si injuria re ipsa sit, duplam pecuniae summam offenso exhibere tenetur. Vxores ciuium tali in causa duplam, filiae innuptae quadruplam rationem accipiunt; si

itaque virgo quaedam verberibus afficitur,  
octuplam illam rationem soluere debet offens-  
or, quam pater virginis quotannis Impera-  
trici et thesauro oppidi exhibet.

F. De Societatibus dicitis *Capitalisten-Gilden*, eo-  
rumque iuribus in genere.

- 1) Omni Oppidano, qui 1000 ad 50000 Ru-  
belos possidet, alicui societati se inscribere  
licet.
- 2) Aestimatio pecuniarum eiusuis fidei com-  
mittitur, neque sub vlo praetextu nemini  
indicare licet, si quis pecunias suas aut  
omnino non publicauerit, aut iusto pau-  
ciores.
- 3) Qui societati alicui adscripti sunt, a militia  
praefanda ab omnibusque seruitiis liberis,  
pro hoc officio pecuniam soluunt.
- 4) Iisdem cum Imperatrice pasta et conuentus  
inire licet, prout plus aut minus pecunia-  
rum publicauerint.
- 5) Omnes denique a publicis laboribus liberi  
sunt, pro his pecuniae quid exhibent.

G. De prima Societate *Capitalisten Gilde*.

- 1) Ad hanc pertinent, qui 10000 ad 50000  
rubelos indicant, nulla praeterea sexus aut  
aetatis ratione habita.
- 2) Qui summam pecuniae maiorem publicauer-  
runt, prae reliquis, qui minorem indica-  
runt, primas tenent.
- 3) Omnibus huius societatis membris negotiari  
licet tam intra, quam extra Imperii fines.
- 4) Conceditur ipsis etiam manufacturas et fa-  
bricas instituere, nauesque per maria mit-  
tare.

5) In

- 5) In oppidis ipsis Carpentero biiugi vti licet.  
 6) Nullo modo corporis poenis affici possunt.  
 H. De secunda Societate *Capit. lisen - Gilde dicta.*  
 1) Haec omnibus patet, qui 5000 ad 10000  
 rubelos possident.  
 2) Qui summam maiorem publicauerit, ceteris  
 anteponitur.  
 3) Omnibus intra Imperii fines negotiari licet.  
 4) Etiam manufacturas et fabricas instituere  
 possunt, ratesque per flumina mittere.  
 5) In oppidis, eo curru, qui chaife dicitur,  
 ipsis vti licet, idque biiugi.  
 6) Ab omni corporis poena liberi sunt.  
 I. De tertia huius generis Societate.  
 1) Ad hanc pertinent, qui 1000 ad 5000 ru-  
 belos publicauerint.  
 2) Qui maiorem summam indicat, eadem  
 praerogativa fruitur, ac de reliquis dictum  
 fuit.  
 3) Mercibus exilibus in oppido inque eius  
 circulo ipsis negotiare licet.  
 4) Machinas textorias quasuis fundare, omnia  
 negotia agere ratesque per flumina mittere  
 possunt.  
 5) Ipsi quoque licet, tabernas diuerstorias,  
 balnea atque hospitia publica instituere.  
 6) Carpenteris vehi ipsis non licet, curru sim-  
 plici cum uno equo et hieme et aestate vti  
 possunt.  
 K. De iuribus earum societatum, quae Zechen  
 dicuntur.  
 1) His inscribuntur omnes oppidani artem  
 quandam manuariam exercentes.  
 2) Qui ex his sufficientem pecuniae summam  
 possident, vt cuidam priorum societatum in-

serbi possint, idque indicauerint, omnibus iuribus eiusdem societatis fruuntur. Caput hocce praetera multa paecepta senioribus, magistris, sociis, mercenariis, discipulis obseruanda continent, quo cuiusuis iura et officia desiniantur.

#### L. De Negotiatoribus exteris.

- 1) Qui ex aliis regionibus aduenerunt et in oppido quodam Rossiae sedem suam fixerunt, licet alii religioni, quam quae eius loci est, additi sunt, illam tamen libere exercere possunt, ita ut omnes Imperii nationes ad vnum eundemque Deum linguis diuersis more maiorum preces suas mittere eumque venerari possint.
- 2) Qui Romano-Latinæ ecclesiae additi sunt, vna cum suis sacerdotibus Archiepiscopo, qui Mohilowiae in Russia alba residet, parent.
- 3) Qui a confessione Augustana sunt, in rebus sacris ad consistoria sua pertinent, quae in Imperii Capite inque guberniorum oppidis pro necessitate instituentur. His in Consistoriis et Clerici et Civiles sedem habent. Eorum officium est, ad ecclesias et sacerdotes attendere, scholarum curam gerere, eoque niti ut ministros ecclesiae dignos adipiscantur, vel ipsos instruendo, vel indignos ablegando aliosque in eorum locum instituendo.
- 4) Si in quodam oppido quingentae familiae exteræ aut ultra sunt, magistratus altera ex parte ex membris rossicis et altera ex exteris confare debet, ita tamen, ut numerum definitum consulum, senatorumque Rossi sibi vindicent, et totidem membra ex exteris eli-

ellegantur, quae cum illis vnum modo corpus  
formant.

5) Quibus in oppidis telonia sunt, in quibus  
quingentae aut plures familiae exteræ vi-  
vunt, vnam partem praefecturae teloniorum  
Rossi, alteram exteri formant.

6) Cuius opidum vna cum familia sua defere-  
re licet, ea conditione, vt nullum aes alien-  
um contraxerit, et pro tribus annis futuris  
oppido praestanda exhibeat.

7) Exteris omnis generis manufacturas et fa-  
bricas instituere licet,

#### M. De iuribus notabilium.

1) Notabilibus in vrbe biuigo aut quadriugo  
pro libitu vti licet.

2) In oppidi vicinia villas atque hortos possi-  
dere licitum est.

3) Nullo modo corporis poenis affici possunt.

4) Manufacturas et fabricas fundare nauesque  
per maria et flumina mittere possunt.

5) Seniori nepoti cuiusdam hominis Notabilis,  
si auus eius et pater in hocce ordine per-  
manerint, nobilitatem ambire licet, anno  
aetatis trigesimo superato.

#### N. De Praesidiariis, Pozatskie, corumque iu- ribus.

1) Hic ordo cuius patet.

2) Licit ipsis machinas textorias instituere, in  
domiciliis suis tabernas habere, in quibus  
et negotia sua peragere, exilesque merces  
vendere possunt.

3) Tabernas diuersorias, balnea, atque hospi-  
tia publica instituere ipsis licet.

4) Pa-

- 4) Paſta cum Imperatricē inire poffunt, secundum eorum opes, pro quibus tributum theſauro exhibendum eſt.
- 5) Mercantur cum fructibus horaeis, granis cerealibus ceterisque eiusmodi rebus.
- 6) Non licet iplis carpento in oppidis vti.
- O. De redditibus oppidorum.
- 1) In oppidis, vbi portus aut telonia ſunt, oppidi theſauro duo pro centum portorii, pro mercibus importandis, et vnum pro exportandis ſoluitur.
- 2) Vnum procentum idem theſauros de foeno-re, quo Imperatrix ex ſpirituſ frumenti deſtillatione fruitur, ſibi vindicat.
- 3) Opes cuiusuis defuncti ſine heredibus, ad theſaurum pertinent.
- 4) Oppidorum molae, piftatura, pontes theſauro oppidi fructum reddunt.
- 5) Pecuniae, quas pro poena mercatores alii que incolae ſoluunt, theſauro obueniunt.
- 6) Omnes hi reditus ad ſumtus pro oppido faciendos designati ſunt, et quidem 1) pro mercede Magistratum et iudicium, 2) pro ſcholis ſuffitandis, 3) pro aedificiis publicis tam exſtruendis quam reparandis.
- 7) Si theſauro pecuniae ſuperfunt, tum oppidanis mensam foenerariam publicam iſtituere, aut easdem aliis mensis committere licet.
- 8) Praeter ſumtus ſupra nominatos Magistratus nullos facere debet, fi quid oppidi commodo aut ornamento impendere velit, licentia a Gubernatore petenda eſt.
- 9) Rationes et redditum et ſumtum Gouvernatori et tribunali camerali exhibendae ſunt.

P. De

P. De conuentibus oppidanorum.

- 1) Ab oppidanis senatus est constituendus, in quo Caput ciuium et sex legati e sex classibus, in quas incolae diuisi sunt, sedem habent.
- 2) Omnes sex classes, quas supra descripsimus, quovis triennio conuenire oportet, quaevis legatum ad sententiam ferendam eligit, ut senatus itaque ex sex legatis et capite ciuium constet.
- 3) Huius senatus officium est, 1) curam gere-re, vt incolis labores subministrent, quibus viuere possint, qua in re ipsos adiuuare te-netur. 2) Curare debet, ne incolae cum vicinis suis inimicitiias contrahant, quas im-pedire et anteuertere debent. 3) Inter in-colas ipsos amicitiam et pacem conseruare tenetur. 4) Omnia quae contra disciplinam atque decorum sunt, impedire debet. 5) Cu-randum ipsi est, vt fides in negotiis contra-hendis seruetur, ne negotiatio iacturam fa-ciat. 6) Publicorum aedificiorum cura ipsius est gerenda. 7) Ut oppidi redditus augeantur, curandum. 8) Omnes denique discordias inter opificum societas iudicare debet.
- 4) Causae iudiciales non ad senatum sed **ad** Magistratum pertinent.
- 5) Idem senatus curare debet, ne disciplina publica atque ordo ab opificum societatibus turbetur.
- 6) Senatus conuentum suum in aedificio publi-co habet, propriisque insignibus vtitur.
- 7) Qui sententiis a senatu pronunciatis haud contentus est, causam suam ad gubernii ma-gistratum deferre potest.

SECTIO

## SECTIO IV.

## DE AGRICOLIS.

- 1) De Rusticis liberis, de Tartaris, Siberiis aliquaque  
populis, qui etiam liberi et solummodo vestigales  
sunt.  
2) De Rusticis omnibusque ceteris glebae adscriptis,  
qui autem non agricultae sunt,

§. 18.

**H**uiusque de Nobilibus, de Clero, deque  
Oppidanis verba fecimus; restat, ut et diuersas  
classes agricultarum persequamur. Rustici liberi  
itaque, rosice Ondodworzi, quae vox rusticos  
designat, qui non nisi singulas aedes possident  
*Einhöfner*, in iis guberniis sedem suam habent,  
quae meridiem versus spectant. Ideo Ondodwor-  
zi nominati sunt, quia ab initio singulatim sedes  
suas posuere, circa quas funda sua habebant.  
Tempore autem sequenti tantum eorum progenies  
se propagauit cum eorum domiciliis, ut exinde  
multa rura orta fuerint. Origo eorum magna ex-  
parte ad captiuos, quos bello fecerant, referenda  
videtur, quibus priscis temporibus loca deserta  
affignabantur; quam oppinionem etiam rerum ge-  
starum memoria exemplis fide dignis probare vi-  
detur; nam ipsum Regem (Czar) Alexi-Michaelo-  
witsch, Petri magni patrum, multis Polonis, Li-  
thuanis et Tartaris, quos cum vxoribus liberis-  
que bello ceperat, ad flumen Wolga et Kama se-  
dem affignasse, historia docet. Inde etiam no-  
men *Lanzi*, quo quibusdam in regionibus gau-  
dient, facile interpretari possumus. Poloni enim,  
Lithuanis, etiam Germani genus quoddam equitum  
habebant, qui lancis armati, *Lanzen-Knechte* di-  
ceban-

cebantur; horum itaque equitum nonnulli bello capti hancce denominationem ad posterorū propagasse videntur, in lingua enim rossica hoc vocabulum deest. Igitur Odnodworzi semper liberi fuerunt; Imperanti tributum, pro fundis autem suis agrisque exiguum soluebant. Immediati Imperii subditi erant; cum autem procul a Regia abessent terrasque fere desertas incolerent, semper hac in conditione permanserunt, illaeque quas ceteri subditorum ordines subiere commutationes nunquam ad eos pertinebant. Quum autem posterioribus temporibus exercitus perpetui conscriberentur, suam partem quoque conferre debebant. Iurisdictionis ratione sub Cancellaria circuli sui erant, cui etiam annua tributa exhibebant. Cum vero loca deserta, vt iam diximus, incolerent, tot agros sibi vindicare poterant, quot se colere posse credebant; nihilominus multi agri inculti iacebant, quamquam numero sensim sensimque augerentur, quia non tanta pecudis et equorum Copia, ac par erat, instructi erant. Ceterum ita rebus suis vtebantur, vt multi eorum diuicias sibi accumularent. Sub regno nunc Augustissimae Imperatricis eorum iura quoque nullo modo diminuta sunt, excepte, quod singulis certus ingerum numerus definitus sit. Hos agros forte acceptos tanquam proprios possident, nec quicquam pro iis vectigalis soluant, nec vila onera ipsis imponuntar, praeter capitulationem, vt iam monuimus. Quo autem omnium utilitatē prospiceretur, Imperiumque in omnibus sui partibus pari incolarum numero habitaretur, Imperatrix horum rusticorum possessiones antea illimitatas certis limitibus definiendas existimauit. Cum autem fertilissima et amoenissima loca ab ipsis in-

cole-

colerentur, ita tamen, vt magna ex parte agri  
 non, vti par erat, collocarentur, et contra aliis  
 in regionibus minus fertilibus in iusto maiori co-  
 pia adessent agricultae, vt agri ipsis non suffice-  
 rent, limitatis rusticorum agris, reliquos Impera-  
 trix vili pretio vendidit Nobilibus, qui ex suis  
 ruribus, quae nimis incolis abundabant, super-  
 fluos in regiones incoltas ad nouas habitationes  
 fundandas miserunt, quo et Nobilium emolumen-  
 to, et Imperii utilitati communi prospiceretur.  
 In locis enim antea desertis nunc rura conspiciun-  
 tur; agricultae, qui huc migrarunt, in patria sua  
 aut nullos omnino agros, aut saltē non tot possi-  
 debant, vt ex agricultura vitam sustentare potue-  
 rint, eo autem, quod suos deseruerint, et remanentibus potestatem agriculturæ fecerint, ipsis  
 ita prouisum est, vt fertilissimos agros adepti ope-  
 ram suam et industria exercere possint. Eadem  
 res efficit, vt per Imperium veteribus cellis fru-  
 mentariis nouae accendant, annonis omnibus ab-  
 vendantiam suam communicaturae.

Quoad iurisdictionem, in hac quoque in gu-  
 berniorum reformatione ipsis prouisum est. In  
 praefecturas ita diuisi sunt, vt quaevis praefidem  
 cum collegis quibusdam habeat, qui ab incolis  
 eiusdem praefecture idque ex membris eorum eli-  
 gitur. Hi iudices in praefectura sua disciplinam  
 publicam curant, omnesque causas minutiōes  
 verbis iudicant. Plures praefecture ad forum  
 inferius pertinent, quod in circuli oppido sedem  
 habet, nam in omnibus iis circulis, qui plus  
 quam decem millia rusticorum continent, sive  
 Imperatricis sint, sive Odnodworzi, fora accom-  
 modata sunt ipsis peculiaria, vti id in posteriori-  
 bus videbimus.

Prae-

Praeterea ad agricolas liberos omnes gentes referendae sunt, quae quidem iam a longo retro tempore in vasto illo Rossorum Imperio sedem suam habuere, sed non origine rossica sunt. Hoc in numero omnes gentes comprehenduntur, quae Suecorum Norwegia, secundum omnem maris glacialis longitudinem, hancce regionem ad ultimas vsque Asiae oras inhabitant, vt et illae, quae Siberiam, Casan et Astracan incolunt; Tartari quoque, qui recens bello obtentae Crimeae et Cuban incolae sunt, tum et illi, qui in Rossia Europaea adhuc supersunt, quorum alii Mordwi appellati inferiorem partem gubernii Nowogorod, alii Casimowskie dicti Gubernium Rofan inhabitant, hoc pertinent. Nimis prolixus forem, si omnes hafce gentes moribus, institutis atque religione inter se diuersas nominare easque describere vellem; Lector benevolus relationes de Rossia geographicas et statisticas hac de re adeat; nos modo eorum conditionem, iura atque obligaciones describemus.

Omnis illae gentes liberae sunt, seruitutis nomen ignorant. Iudices eorum ex populo sunt, et ab illo eliguntur. Sunt, qui etiam suos principes habent, quos *Murzen* vocant, quorum dignitas haereditaria est, quique belli tempore duces, durante autem pace iudices sunt. Omnibus hisce populis Maiorum mores atque instituta integra fuerunt reliqua, hinc Deum quoque Maiorum more adhucdum colunt. Sub Rossorum nunc dominatione gubernatori, qui in eorum regione fedem suam habet, subiecti sunt, qui ipsorum causas iudicat. Qui populi magis septentrionem versus spectant, tributum pellibus soluant, nullis praeterea oneribus aggrauati, neque tyrones

militares sicut sunt. Reliquis capitatio conuenit militumque conscriptio. Ad has gentes, quae libertate fruuntur, Cofaki quoque cum iis, qui ad flumen Tanaim, tum qui in Verania sunt, pertinent, qui principibus iudicibusque popularibus videntur. Primum locum apud ipsos Gubernator tenet, qui causas eorum ciuiles iudicat. Capitacionem solunt legionesque ex suis conscriptis habent. Iam olim decem legiones Cofacorum existebant, quae hodie disciplina militari imbutae sunt, ita tamen, ut quaevis legio tirones ex sua regione conscribat. Qui quis miles militiam per octo annos sequitur, quibus peractis alius eius locum occupat, si ipse diutius in ea permanere nolit. Cofaki, qui regionem ad flumen Tanaim inhabitant, eodem modo ac antea milites conscribunt, vestitu scilicet armisque patriis instructos, quibus praefecti ab ipsis electi praesunt.

## §. 19.

Rustici glebae adscripti sensu strictiori ordinem agricolarum formant. In genere duas in classes diuidi possunt, quorum alii Imperantis sunt, alii Nobilium. Illi his meliori conditione videntur; licet enim Principi in rusticos suos eadem sint iura, quae Nobiles in suos habent, in iis tamen obseruandis non adeo severus est, et quibusdam principiis vtitur, quae instar legum observantur, quaque si negligantur, rusticis ad forum camerale, aut ad summum quoque Gubernatorem querelas suas deferre licet; melior itaque fors ipsis est, quam Nobilium rusticis, quum leges suas et forum habeant, quod ipsis in necessitate refugii loco est; hi autem prorsus a domini nutu pen-

pendent, qui in ipsis imperandis sola sua voluntate vtitur.

Rusticis Imperantis varia nomina in catalogis cameralibus imponuntur. Alii Sawodskie dicuntur ab oeconomia, cui prospiciunt; hi in principis equilibus, in destillatione spiritus frumenti, in fodinis aliquaque negotii operam suam praestare tenentur. Alii Dworzowie nominantur, id est, rusticci ab aula principis, nam olim castra principis omnibus necessariis instruebant; alii simpliciter rusticci Imperantis dicuntur, ad quem aut penuria heredum in familia nobili, aut emtione peruererunt; alii denique rusticci coenobiales sive etiam oeconomici appellantur, quia olim ad coenobia pertinebant, quibus postquam ademti fuerunt, administrandi causa collegio oeconomico commissi sunt. Sed varia haec nomina nosse, in illis distinguendis nil confert; quamobrem secundum eorum officia praestanda et quidem in duas classes dividendi sunt, quorum altera eos comprehendit, qui ab oeconomia Sawodekie dicuntur, altera autem eos, qui tributa soluunt. Illi itaque in Imperantis equilibus, destillatione spiritus frumenti, in fodinis et officiis suis funguntur. Horum non tantus numerus est, ac eorum, qui tributa soluunt, neque tam prospere ac alteri rebus suis vtuntur. Cum enim suis laboribus domino inferuant, a propriis negotiis peragendis detinentur, nec tanta fruuntur libertate. In eorum tamen seruitiis modus est; in fabricis enim principis non modo sufficiens, verum etiam superflus numerus rusticorum adest, ita vt ipsis non adeo vehementer laborandum sit, ac illis, qui Nobilibus subiecti sunt. Rustici huius generis nil plane pecuniae soluunt, excepte quam cum

reliquis omnibus in genere exhibere tenentur. Omnes autem reliqui Imperantis rusticis vestigales sunt. Olim quiuis mas secundum censum habitum duos rubelos tributi soluere solebat, aliquot ex annis autem tres nunc rubelos soluunt. Patriae enim producta sensim cariora facta sunt, vt nonnulla hodie dupli pretio veniant. Imperatrix itaque non iniuste acturam esse creditit, si annum tributum, antea, quum omnia vilis pretii erant, minutissimum, adangeret. Pro hoc tributo, quod Imperanti tanquam domino suo solvunt, omnibus quoque fundis ad rus pertinentibus, vt agris, pratis, siluis, pascitura etc. fruuntur ita, ac si ipsis omnia propria essent. In his quoque pro Iubitu mutare ipsis licet; quem in finem in omnium conuentu deliberant, plurimorumque votis rem absoluunt. Praeterea hi rusticis a nemine dependent; mercantur enim, aurigant, in fabricis quoque omnis generis pannos conficiunt, ex serico, gossypio, lana, lino; pilos quoque fabricant et pannos, quibus ipsi vesciuntur, et quae huius generis plura sunt. Praeterea etiam opificia exercent, suntque opifices sericarii, fabri lignarii, caementarii, solearii, clastrarii, rhedarii, figuli, denique coriarii; quas artes omnes cum in ruribus, tum etiam in oppidis exercent. Iam supra nullas plane artes oppidanos profiteri, dictum est; ab omnibus itaque rusticis, qui vestigales sunt, etiam a Nobilium rusticis exercentur. Vbicunque se arte sua lucrum facturos esse arbitrantur, eo proficiuntur, vt et remotissimas Imperii regiones vt et illas quae extra earum fines sunt adeant. Securitatis literis ad iter conficiendum tum extra, tum intra Imperii fines instruuntur. Interim autem res eorum domestica nil

nil detrimenti capiunt. Cum enim plures fratres, aut etiam cognati omnia sua communia habeant, neque filii parentes suos deserant, semper eorum numerus quidam ad res domesticas curandas sufficiens domi remanet, messe autem appropinquante omnes, qui ad familiam pertinent, quique procul a suis negotia egerant, reuertuntur, ut itaque omnes coniunctis viribus negotia sua peragant. Cum itaque rustici Princeps praecipue vestigales tanta libertate fruantur, facile intellectu est, ipsos rebus suis feliciter vti; quod autem dein copiosius adhuc explanabimus; quando de illis mediis sermo erit, quibus rustici in genere vitae necessaria sibi comparant.

Omnis Imperantis rustici olim in praefecturas quasdam divisi erant, quarum singulis Administrator Imperantis nomine praeerat, qui omnia, quae ad disciplinam publicam spectant, curabat omnesque causas ciuiles iudicabat; qui indices immediate a senatu creati rusticos saepius opprimebant, quia nulla ipsis foro patebant, ad quae confugere potuissent; quam ob rem, dum gubernia reformabantur, nouam plane subiere sortem. In praefecturas quidem adhucdum, vti olim, divisi sunt, omnia autem rura, quae vnius eiusdemque praefecturae sunt, foro inferiori instructa sunt, cui senior cum aliquot collegis praeidiit; omnia membra in tres annos ex suis sibi creant. Ad hoc forum omnes causae minutiores, nec non disciplina publica pertinet, quam in singulo rure senior quidam curat. Is omnia, quae contra disciplinam publicam sunt, ad forum desert. Haec foro autem tribunalibus inferioribus circulorum subiecta sunt, quibus omnia communicare tenentur, vti in Sectione VI.

yberius videbimus. Hoc loco adhuc dicendum est, rusticos Imperantis quoad res suas domesticas ad forum camerale gubernii sui pertinere, quod viro quodam designato instructum est, qui eorum curam gerit, quique director oeconomiae dicitur. Huius officium est singulis annis Imperantis rusticos in gubernio suo adire, res eorum domesticas examinare ipsisque prospicere. Nullam in eos iurisdictionem exercere ipsi licitum est, tantummodo querelas eorum foro communicat, ut in eo, quo eagent, subleuentur; ipsi itaque tutoris loco est, qui omni opera ipforum commodo prospicere tenetur. Ex his, quae de Imperantis rusticis huiusque diximus, eluet, forte eorum non adeo tristem ac miseram esse, vt servitutis notio id persuadere possit. Licet enim glebae adscripti sint, a domino tamen secundum leges ipsis notas reguntur; quodsi enim iniuste cum illis agant, satisfactionem et postulare et nancisci posint, vt itaque fors eorum nullo modo in hominum arbitrio posita sit. Ad haec etiam accedit, quod omnis Imperatrix rusticus oppidanorum classibus sese inscribere possit, prout opibus instructi sunt. Hoc modo Imperatrix non solum rusticorum sed et oppidorum commodo inservire voluit. Cum enim in multis priscis oppidis incolae diuites perrari sint, ducenta autem et sedecim oppida fundata fuerint, ad quae incolenda Imperatrix homines fortunatiores desiderat, nil magis iustitiae atque sapientiae conueniens esse potest, quam si rusticos fuos diuites eo allicit, qui ratione negotiationis, opibus, scientiis atque experientia instructi sunt.

§. 20.

§. 20.

Nobilium autem rustici omnibus mox dictis  
commodis carent; strictissimo enim sensu cum  
omnibus suis fortunis ad Dominum pertinent.  
Nullum forum, ad quod oppressi configere pos-  
sent, nullae leges ipsos inter et dominum interce-  
dunt, nisi quod hic ius vitae et necis exercere  
nequeat, eosque alere teneatur. Quanta iura  
Nobilibus in subditos sint, Sectione prima iam  
monstrauius; sed ibi quoque dictum fuit, domi-  
nos hisce iuribus cum moderatione quadam vti;  
et reuera omnia in suis subditis polita habere,  
omnique modo subuenire eorum fortunis. Prin-  
cipium hoc, quod tantae saluti rusticis est, No-  
bilibus adeo inheret, ut sibi ipsis incommodum  
afferre arbitrentur, si eos male tractarent; huic  
principio quoque subditorum opinio agendique  
ratio plane respondet; nam et ipsi sibi persuasum  
habent, se totos domino suo proprios esse, hinc  
omnia ab ipso perferre et ad ipsius nutum totos  
se fingere debere arbitrantur. Ex multis exem-  
plis unum modo allegasse sufficiat, quo indicem,  
quam arte suas cum domini fortunis coniunctas  
esse existimant. Si rusticus quidam aliquid do-  
mino suo furto abstulerit, et in eo comprehensus  
fuerit, ad sui iustificationem nil allegat, nisi se  
res ablatas in sui fluorumque liberorum usum im-  
pendisse, cum autem ipse cum liberis domini sit,  
se nil abstulisse dicit, quia id simul et domini com-  
modo inseruiat. Toto praeterea animo ipsi addi-  
sti sunt; nulli periculo, ne mortis quidem pro  
domino suo se subiicere recusant; eiusdem meri-  
tis opibusque tanquam suis gloriantur, fortunas  
ei aduersas grauius ferunt; si quid inhoneste ege-  
rit, pudore et tristitia afficiuntur; in negotiis

G 4

contra-

contrahendis, si domino suo emolumento esse pos-  
sit, statim ad alios fallendos parati sunt. Multis  
exemplis probare possem, saepius accidisse, vt  
rustici divites aes alienum domini sui soluerint,  
quum iam in eo esset, vt totum rus vendere vel-  
let. Ita domini fortunas eiusdemque commodum  
pro suo ducunt rusticis.

Quae huicusque de Nobilium rusticis diximus,  
suspicionem mouent, ipsos fortunis opibusque abun-  
dare, quae tamen prorsus in potestate domini sunt.

Plerumque rusticis dominis opulentibus ser-  
uientes, quibus plura millia subditorum sunt,  
maiores copias possident, quam eorum Nobili-  
um subdit, qui mediocri aut pauca modo for-  
tuna fruuntur; id quod facile intelligi poterit.  
Partim enim ditiores Nobiles subditos suos secundum  
principia quaedam administrant, partim quo-  
que, dum opibus pollut, minus a subditis suis  
exigunt. Nobiles pauperiores contra luxum  
imitando redditus suos augere quadammodo cogun-  
tur, hinc et rusticos vestigales et oeconomicos  
vexent, necesse est. Rustici vestigales porro  
plures copias possident, quam oeconomici. Quam-  
quam enim domino suo maius tributum soluunt,  
quam rusticis Imperantibus, in negotiis tamen suis a  
nemine turbantur; cum autem multiplex via  
lucri faciendi ipsis pateat, vt pluribus infra videbi-  
mus, hinc multum soluere possunt, ita vt rebus  
suis nullum detrimentum afferatur. Ita autem,  
quae mox de ditiorum dominorum rusticis dixi-  
mus, saepius exceptiones admittunt. Haud rari-  
us enim homines ab administratoribus premun-  
tur, saepius infortuniis in paupertatem redigun-  
tur, domino autem non tantae curae est, vt eos  
in statum priorem restituere satagat. Nobilium  
pau-

pauperiorum contra subditi, saepius opes possident et fortunas, si modo dominus ingenio valet, reueraque subditos suos felices videre cupit; tali in statu quoque rustici oeconomici suis rebus feliciter vtuntur. Plures enim deprehenduntur domini, qui eorum praestanda ita moderantur, vt et suis negotiis simul vacare possint, quique fabricas instituunt, in quibus rustici mercede conducti operam suam praestant, vt itaque domi ipsis semper via vitae necessaria comparandi pateat. In fabricis illis pannus, linteum et carbasus conficitur; per mercenarios fila ducenda curat dominus, vt itaque mulieres et puellae vna cum pueris lumen facere possint; adulti vero texunt; omnia haec peraguntur, quando id per agriculturam licet, ne enim haec incommodum quoddam patiatitur, omni opera student. Ex his itaque satis superque appetet, rusticorum fortem in domini potestate sitam esse, omnemque eorum fortunam et secundam et aduersam ab eo dependere. Omnes quidem subditos suos fortunatos desiderant, non solum proprii sui commodi causa, quum rusticci opibus praediti plura onera ferre possint, quam qui iisdem carent, quos praeterea etiam alere tenentur, si vitae necessariis prorsus destituti sunt, verum etiam ob consuetudinem quan- dam inueteratam, qua subditos suos moderate tractant, fortunisque eorum prospiciunt. Sed et hic nulla regula sine exceptione; saepius enim domini optimo licet animo praediti, in rebus suis administrandis negligentiores sunt, easque prorsus administratorum curae relinquunt. Alii ita fortunas suas prodigunt, vt subditis noua onera imponere cogantur. Optandum esset, vt Nobilibus officia, quibus grauissime erga suos ob-

stricti tenentur, magis cordi essent eosque omni sua cura dignos existimarent, quum etiam rationis participes sint; in primis autem vellem, vt sumtus suos ita dirigant, quo moderati praediorum redditus ipsis quoque sufficerent; sed ut iam diximus, rarius accidere solet, vt contra mox dictum principium agatur, in genere enim omnes fere Nobilium rustici prospere admodum rebus suis vtuntur.

Nobilium rustici aut vestigales sunt, aut domini rebus domesticis prospiciunt. Illi domino suo vestigal solunt, hinc omnes quoque fructus, quos ex ruribus percipiunt, ipsis proprii sunt. Vestigal definito tempore soluitur, aut una vice aut pluribus; praeterea nulli alii officio obstricti tenentur, cumque Imperantis rusticis in negotiis suis peragendis eadem libertate gaudent. Ipsi scultetum cum quibusdam collegis sibi eligunt, qui disciplinae atque iustitiae curam gerit. Omnes singulorum discordiae, omnesque causae, in conventibus publicis quibus scultetus cum suis collegis praesidet, iudicantur. Nil ipsis cum domino suo negotii est, nisi quod praestanda ipsis exhibeant, et ille, quomodo res eorum se se habeant, interdum inquirat, ne discordias sibi noceant, id quod ad dominum rei dijudicandae ergo defertur. In praediis, quae ex pluribus ruribus constant, administratorem constituit dominus, qui rusticos contra exterios defendit, ipsam autem iurisdictionem dominus curat, exceptis illis causis, quas in concione publica componunt rusticci, quo iudicio, si quis haud contentus est, dominus in totam rem inquirit, et ut cuius satis fieret, curat.

Rusti-

Rustici oeconomici nullum tributum exhibent domino, suis autem laboribus illius commodum promouere student; omnibus ipsi ad vitam necessariis, veluti sibi, veruecibus, animalibus volatilibus, onis, butyro etc. prospiciunt, ita ut onera haecce in quouis rure pro familiarum numero distributa sint. Hi rusticci preeprimis domini cura atque liberalitate indigent; quum enim eorum onera preestanta a domino dependeant, facile, si hic nimium oeconomiae studet, licet ceterum ab iustitia haud alienus, iusto rudiis tractari possunt. Hisce rusticis plerumque unus aut plures administratores preefetti esse solent, qui illis imperant, simulque iurisdictionem apud ipsos exercant. Nobiles ditiores annum tributum plerumque secundum Imperatricis aestimationem definientes tres rubelos a quouis mare exigunt. Regula autem haec pro agrorum fertilitate et magnitudine, pro ruris situ et productis, quae inde obtinentur, pro ipsis quoque rusticorum copiis, quas ad vitae necessaria sibi comparanda possident, exceptionem patitur. Quodsi enim multa ad rus pertineant, ex quibus quaestum facere possint, aut si id cum situm habeat, ut producta fluminibus deficientibus ad transportandum, aut etiam aliis ex causis cariora sint, tum omnino plus exhibere possunt, quam vbi haec non adfunt. Nobiles in genere pro agrorum fertilitate et magnitudine ipsi agros suos administrant, et ita opera rusticorum suorum vtuntur. Si rus multos eosque fertiles agros continet, ipse dominus itaque administrat; quodsi autem eius rusticci necessaria sibi comparandi sufficientem habeant potestatem, et ipse perspiciat illos maiora vestigalia soluere posse, maiores fructus percipit, si illis agros relinquit,

quam



quam si ipse eos administraret.<sup>1</sup> Restat nunc, vt et de illis glebae adscriptis verba faciam, qui in domo aulaque Nobilium versantur, quique vestigialis ratione, quod Imperanti solnitur, rusticis quidem annumerantur, et in censu quoque eorum tabellis inscribuntur, a domino autem longe alter ac rusticci habentur. Hi itaque licet reuera glebae adscripti, cum suis familiis tamen separati a rusticis vivunt, et domini famulatum cum domesticum, tum aulicum curant. Saepius fieri solet, vt dominus puerum rusticum, si ingenio praeditus est, pro suo famulo sibi destinet eoque ipsum in horum hominum classem collocet; nunquam autem accidit, vt quendam ex hac classe ad rusticos iterum ableget, excepta, si ipsum ob delicta quaedam poenis afficere velit. Ceterum hifce suis familis ad viatum sibi comparandum annum stipendum concedit, omniaque relquia necessaria praebet, nullum plane vestigial ne Imperant quidem solnunt, quum dominus omnia pro illis praeferet. Vestitu quoque instruuntur, quique vxores habent, ad armenta sustinenda stabulum accipiunt ut et agros ad hortos fundandos et alias in usus, ut itaque honeste et commode viuere possint, hinc toti quoque domini famulatu addicti sunt, qui ipsis pro lubit utitur. Quoad officia plerumque in tres classes distribuuntur. Ad primam illi pertinent, qui domini rura administrant, eius negotia curant, simul et rebus domesticis praeunt. Hoc in numero itaque omnes praediorum administratores sunt, qui administrationem suam in omnia rura exercent; aduocati quoque, qui domini iura defendunt eiusque causas tum praediorum tum familiae ratione agunt; hic etiam administratores cuiusvis praedii pertinent, rei oeconomi-

nomiae Inspectores, Maitres d'hotel, qui culinae omnibusque famulis praefit, reliquaque homines, quibus graviora negotia commissa sunt, prout res domini sepe habent. Omnes mox dicti homines optime sepe habent, quum mercedem accipiant, ita ut plures mediocriter, alii feliciter rebus suis vtantur. In genere autem omnia negotia curant, domini subditos administrant, omnium rerum emtioni et venditioni praesunt, ita ut, si domini rebus suis negligentius prospiciant, magnas fortunas sibi comparare possint. Haud ignotum est ipsis dominis, quod quoquis anno a rusticis dona accipiant, in rebus emendis vendendisque lucrum suum haud negligent, quod copiis admodum abundant, quas ex sola mercede nunquam colligere possint, quodque haec omnia suo suorumque incommodo siant. Principio autem illo industi, quod hi homines sibi proprii sint, quodque eorum fors in sui potestate sita sit, omnia haec patienter ferunt, nec fortunas ipsis admunt, quas parum honeste sibi comparauerunt. Ad alteram classem illi referuntur, qui proprie ad famulatum domesticum designati sunt, quorum famuli cubicularii sunt, poccillatores, mensae stratores, capillorum concinatores, musici, pedifissi, qui, rei culinariae magistri vna cum coquis, carpentorum equorumque inspectores, hortulanii, venatores et alii eiusdem generis. Hoc hominum genus non optima forte, rebus tamen necessariis fruitur; cum autem famulorum ingens multitudo adsit, non multum negotii habent, et si dominos bonos habent, feliciter fere vivunt. In tertia classe aurigae sunt, ferui stabularii, pueri coquinarii, ferui hortenses omnesque operarii. Haece classis infima est, quum omnia negotia etiam

etiam parum honesta curare debeant, homines nigri vocantur, inde deriuandum, quod vestibus nigris induiti sint, vel etiam quod eorum domicilia olim fumaris carerent, vt eam ob rem eorum parietes necessario nigri euaserint.

Vxores horum hominum simili modo ac mariti in classes distribuuntur. Ad primam referuntur, quae nulla plane opera praefstant, et in suum potius famulatum pueris, vti mariti pueris vtuntur, quod concessione domini fieri solet; illi autem famuli ex ultima classe eliguntur. Mulieres secundae classis, si res postulat, suere, etiam quotannis certam filiorum quantitatem ducere tenentur. Tertiae denique classis mulieres omnibus domesticis operibus vacant. Puellae dominae eiusque filiabus famulantur, cumque earum numerus praemagnus sit, in omnibus iis rebus, quae ad vestitum muliebrem spectant, erudiuntur, et iuvenibus eiusdem classis nubunt.

Omnis huius generis homines domicilia sua circa aedes domini habent, quae speciem parvularis pra se ferunt, et a domino tun aedificantur, tum sustinentur. Quodsi hi homines nimia in quantitate adiungunt non domino modo, verum etiam rusticis obfunt; illi enim praeter famulatum, nullius utilitatis sunt, hi autem omnem eorum victum curare debent. Nobiles autem hos homines in omnibus artibus manuariis erudiendos curant; hinc non solum proprios suos opifices ad aedificia condenda, veluti fabros lignarios, ferrarios, scrinarios, sculptores, pictores, verum etiam fartores suoshabent, futores, ephippiarios, opifices rhedarios, textores, et in genere omnis generis opifices, quorum quisque et domino et dome-

III

domesticis, quae ipsis necessaria sunt, pro arte sua conficit. Olim autem ex hisce opificibus non iustos percipiebant fructus Nobiles; dum enim eos domi apud se retinebant, et non semper occasio aderat artem suam profundi, languori et desidiae sese dedere solebant, ita et artem suam obliuiscabantur, et sumtus, quos dominus ipsis erudiendis olim impenderat, frustraneos reddebant. Experiencia itaque edociti multi domini hisce opificibus nunc licentiam abeundi dare solent, quo in ruribus oppidisque artem suam profiteri possint; quotannis autem ad dominum redire tenentur, quo ipsi necessaria conficiant, id quod quoque citius absoluunt, quem plures viuis eiusdem artis opifex adsint. Haec autem agendi ratio Nobilibus maximum commodum affert, dum non modo opifex habent peritissimos, verum etiam sumtus, quos antea illis impendere coacti erant, nunc cessant, et vestigia potius pro abeundi licentia ab ipsis exigunt, quod quotannis decem ad viginti rubelorum est. Quum itaque olim prouisus opificis vestitu ciboque triginta rubelos impenderent nunc autem ab eodem plerumque viginti rubelos accipiunt, lucrum, quod ex quis faciunt, quadraginta ad quinquaginta rubelorum est. Opifex antem glebae adscripti opificum oppidanorum classi, de qua sectione antecedente paucis locuti sumus, sese inscribere possunt, sive siue magistri sint, sive sodales mercenarii sive tirones omnibus eorum iuribus fruuntur, ea conditione, vt id non nisi quoad exterios pertineat, domini enim iura laedere haud licet, quae non amittit, nisi tali opifici libertatem concederit, quod attestatis exhibitis fieri potest.

§. 21.

Absolutis nunc, quae de rusticis tum Imperantibus, tum nobilium, vt et de iis subditis, qui horum aulam formant, dicenda erant, adhuc superest paucis enarrare, quomodo rusticis erga Imperantem se habeant, quenaam ipsis sint onera communia, quibus artibus vitam sustineant, et quae eiusdem generis plura sunt.

Vox *agricola* dupli in significatu occurrit, vel enim quemcunque glebae adscriptum denotat, qui agricultura, aurigando aliquis eiusmodi rebus vitae necessaria sibi comparat, vel omnes mares glebae adscriptos comprehendit. Si itaque generaliter Nobilem quandam possessorem dico mille rusticorum, aut quod ipse ab Imperatrice mille rusticos dono acceperit, mille mares intelligendi sunt, in ultimo censu hoc numero inuenti, et quidem cum fundis necessariis ad eos sustentandos. Petrus I. omnium primus censum glebae adscriptorum instituit, qui post elapsos viginti annos repeti solet, vt quavis vice et diminutio et auctio notentur. Anno 1762 tertius et A. 1782. quartus census habitus est, qui, vt videatur, ad initium seculi proximi vsque regulae infernit, quae et capitatio exigetur, et agriculturarum numerus definietur. Si itaque A. 1782. Nobili cuidam mille rusticci fuerunt, numerus hic semper idem censetur vsque ad novum censem; et si in genere sermo est hoc numero quoque illi subditi, qui domino famulantur, de quibus supra locutus sum, comprehenduntur, nam par modo capitiationem Imperanti exhibere tenentur. Census hodie ab ipsis dominis secundum formulam quandam instituitur Catalogi ita formandi sunt,

vt

ut prima inscriptio omnium nomina contineat, se-  
cunda omnes adhucdum viuentes, et spatium  
quod intercedit diminutionem aut auctiōnem indi-  
cat. Sexus sequior solummodo notitiae causa  
conserbitur, nil enim vestigialis mulieres sol-  
vunt.

Secundum censum itaque vltimo habitum  
omnes glebae adscripti, siue Imperantis, siue  
Nobilium sint, septuaginta copeicos quotannis  
soluunt, quod onus capitatio dicitur; rubelus  
autem centum copeicos continet. Rus itaque,  
in quo A. 1782 mille incolae inuenti sunt, quo-  
tannis Imperatrici 700 Rubelos exhibet, quam  
summam ad proximum vsque censum soluere con-  
tinuant, nulla aut diminutionis aut augmentatio-  
nis ratione habita. Haec regula capitacionis sol-  
vendae, qua per viginti annos vna eademque  
permanet, rusticorum commodo quam maxime  
inservit, dum incolae numero potius augeri quam  
diminui solent, quod census A. 1782 habitus do-  
cuit, quo indicante agricolae in quibusdam gu-  
berniiis quinta parte aucti sunt, licet hoc tempo-  
ris spatio pestis multos abripuerit, et per sex quo-  
que annos bella cum Turcis gesta fuerint, quod  
ipse catalogos diuerorum guberniorum perlustrans  
animaduertendi occasionem habui. Capi-  
tatio duabus vicibus quotannis exigi solet, autumno  
scilicet et vere, praetereaque rustici Imperanti  
nil soluunt, Cuiusuis ruris incolae symbolam  
suam conferunt, infantibus, senibus et infirmis  
exceptis, reliqui autem omnes, qui laborando  
videtur sibi comparare possunt, partem suam con-  
tribuere tenentur. Pueri, qui anno aetatis de-  
cimo et quarto sunt, quartam partem, decimo  
sesto dimidiam, qui denique annum duodeuige-

sumum superarunt, totam summam soluere debent. Rus, quod a mille rusticis incolitur et 700 circiter rubelos soluere tenetur, trecentos mares ad senes puerosque, qui infra annum aetatis decimum quartum sunt, referre debet, ita ut quiuis adulterus Imperanti quotannis vnum circiter rubeum soluat.

Alterum onus in eo consistit, quod tirones ex rusticis conscribendi sint, si Imperans militibus eget; a certo tunc marium numero vnis fistendus est. In conscriptione, quae singulis annis fieri solet, ex quingentis rusticis vnis conscribitur, vt numerus conscriptorum totius Imperii secundum ultimum censum circiter decem et octo milium sit. Si in quodam rure itaque mille agricultae habitant, duos tirones sistere tenentur, et quidem ita, vt eosdem novo vestitu, pelle, linteis vietique pro tribus mensibus instructos in gubernii sui oppidum audeant. Tirones autem isti certa magnitudine esse debent, et sine viliis corporis vitiis. Magnos interdum sumtus rusticis in hos tirones fistendos faciunt. Secundum usum vicissim quaevis familia tironem suum sistere tenetur. In Nobilium ruribus autem id plerumque ex arbitrio fieri solet, vt in primis patres familliae egentes, aut inhoneste vitam agentes conscribantur; omnibus enim principium inhaeret, homines nauci commodoque publico noxios ad milites esse relegandos.

Ad disciplinam publicam exacte administrandam cuiusvis gubernii circuli in praefecturas diuisi sunt, ita ut cuius Inspector cum nonnullis collegis praesit, qui quoquis anno ex ipsis rusticis eligitur. Eorum officium est, securitatem ordinem que

que seruare, et vt Imperantis mandatis omnes pareant, curare. Morbis pestilentialibus saeuientibus vigilare, fures inuestigare, reparationem viarum publicarum plantationemque ad eas arborum curare tenentur; quibus de rebus omnibus quauis hebdomade circuli praefectum certiorem reddere debent, si vero quid inopinati accidit, id eodem die ad eum est perferendum. Latrocenia et furt a eo quam maxime antevertuntur, quod singulum rus pro omnibus suis incolis in solidum respondere teneatur, et si iacturam quis faciat, eandem reparare debeant. Quius praedii dominus finibus suis vias publicas curare, easdem arboribus plantare, et quamvis Werstam, quarum septem milliarium germanicum, aut 104 gradum conficiunt, columna indicare tenetur. Omnis via publica secundum latitudinem quinquaginta pedes comprehendere debet, partim quia admodum frequentantur, partim quo armenta in itinere pabulum inueniant; hinc et mercatoribus hac in re nulli fere sumptus faciendi sunt. Rustici praeterea, si singulae legiones iter faciunt, aut si quid transportandum est, quod ad Imperantem pertinet, equos ad deuehendum exhibere debent, eadem autem mercede gaudent, quae currui publico obuenit. Viatu quoque milites in itinere constitutos instruere debent, pro quo pretium in oppido consuetum accipiunt. Cum autem praefectus circuli milites iter facientes ad fines circuli sui recipiat et extra eosdem ipsos comitetur, nullam oppressionem agricolae metuendam habent; imo Imperatrix sua erga agricolas cura eo usque procedit, vt quaevis legio in suo itinere attestatis a cuiusvis circuli praefecto munire se debeat, quibus se omnia soluisse honesteque sese gessisse

testantur, quaeque attestata itinere confecto ad collegium bellicum mittenda sunt. Iam supra mentionem fecimus, agricolas rossicos praeter agriculturam, mercatura quoque, fabricis, officiis, aurigando ceterisque eiusmodi rebus stude-re, quod apud alias gentes prorsus insuetum est. Quodsi autem ad vaftissimum Imperium respicimus, et ad coeli diuersitatem, facile intelligimus, ne-gotiationem inter incolas debere esse frequentissimam. In hac enim regione ob coeli temperiem his, in alia aliis productis abundat. Sic exempli gratia Gubernia Refan, Tula, Tamboro, Worenesch, Kursk, Orel, multo frumento, armen-tis et lana instructa sunt; Verania autem, Tanais ripae et Sibiriae quaedam regiones equis, bouibus atque veruecibus abundant; Wolga Iaik et Tanais flumina, immenſique lacus septentrionem versus ut et ipsum glaciale mare piscibus copioſe ſcatent.

Sunt regiones, quae copiosissimis arboribus obſitae lignum ad rhedas aliaque vtenſilia confi- cienda praebent. Sibiria p̄e ceteris ferro aliisque metallis abundat; aliis in locis falinae florent. Verania quoque fructibus et oleribus, praincipue citrullis excellit; in regno Astracan vineae uvas vinumque, arboresque fructus horaeos copioſe largiuntur. Regiones contra septentrionales frumento, carne et fructibus eagent, vt modo de Moscouiae Gubernio dicam, quod nequaque ad tantam incolarum multitudinem ſufficeret. Rem pro dignitate tractare ad historiam naturalem per-tinet, ex his tamen, quae leuiter exposui, facile intelligi potest, negotiationem intra Imperii fines admodum frequentem esse debere. Ab Aſſoffio itaque usque ad Petropolin boues viui atque ver- veces

veces coguntur; iisdem ex locis sal quoque transportatur. Vinum, melones etc. ex Afracan Petropolin vehuntur; oua piscium, quae Caviar vocant a fluminibus Iaik et Wolga per totum imperium venduntur. Multa aestate curribus, multa hieme trahis, multa terra et aqua transportantur. Mare enim Caspicum cum Baltico per canales communicat; ope fluminum Cama atque Occa Sibiriae et Veraniae producta Petropolin usque transportantur. Mos ille, quo trahis itinera faciunt mercium transportationem quam maxime adiuuat; equus duplex onus vehere potest; hae trahae etiam in meridionalibus regionibus per plures mensis locum habent; experientia enim probatum est, eandem orientis plagam maiori frigore horreficere quam in occidente. Producta trahis aut profus ad loca usque destinata, aut ad flumen ripas transportantur, sive fluminibus a glacie liberatis ratibus reliquum iter conficiunt. Omnes viae publicae hiberno tempore ita trahis repletae sunt, ut multi, qui iter suum properant, morari cogantur, licet quaevis via quinquaginta pedes latitudo sit.

Agricolae itaque negotiationi tam vastae tamque multiplici inferuiunt; nemo praeter eos mercium transportationem tam terra, quam aqua curat. Oppidani enim neque equis instructi sunt, neque operariis, et quamquam rates possident, operarios tamen rusticos mercede conducant, necesse est. Eo ipso, quod rusticci merces transportare soleant, mercatura quoque student; si enim rusticco mercede conducto aliquid pecuniae superest, illico in eodem loco merces sibi comparat, sic fortunae ipsius augentur, ut ipse sensim sensimque mercator euadat. Cum conditio phy-

sica vastissimi huius Imperii semper vna eademque fuerit, vt semper alimentorum mutua penuria negotiationi ansam praebuerit, Rossi quoque toti huic industriae fese dedunt, praecipue illi, qui iam a longo tempore mercium transportationi operam nauant, quique audaces et indefessi in suis conatibus ipsi quoque simul negotiationem exercent, quique per plures annos saepius a suis absunt, dum nulla plaga licet prorsus ipsis incognita eos a suo proposito deterrere possit. Negotiatores quidem etiam mercaturam exercent, sed magna ex parte in oppidis negotia sua agunt et quidem ampla, semper autem rusticis tanquam adiutoribus suis vtuntur. Quodsi enim mercatori cuidam frumento, lino etc. opus est, cum rusticis paetum init, qui ipsi omnia aduehant, vt itaque ipsorum mercatorum negotiatio per eos administretur. Praeterea rusticum cum equis, armentis, ligno tum ad aedificandum tum ad comburendum omnibusque patriae productis mercantur. Ex Moscouiae gubernio vsque ad Persiae fines proficisciuntur, et inde uvas, melones etc. reuehant, quae omnia Moscuuae deponunt. Multa quoque ab his rusticis peragi solent, quae quum exteris incredibilia videri possint, silentio praetereunda existimauit.

Quae hucusque diximus, ad probandum quanto commodo negotiatio rusticis rossicis sit, ad vitae necessaria sibi comparanda, sufficere videntur. Eodem studio etiam fabricis et opificiis operam dant; omnia vasa fictilia, quae fayence dicuntur testasque fornacales conficiunt. Quibus in regionibus argilla vasis figlinis, iisque quae fayence vocantur, apta est, plurima rura fabricis huius generis repleta sunt. Vicini has merces emunt, easque ad alias regiones, vbi defunt,

trans-

transportent, dumque alii hasce merces conficiunt, alii easdem transportant, vna eademque res totius regionis utilitati prospicit. Rustici praeterea omnium soli cerdones et pelliones sunt, hinc quoque officinas suas in ruribus prope domicilia habent. Hoc genus negotii quidem etiam a mercatoribus exercetur, rusticis autem ad has merces conficiendas et magistris et operariis vntuntur. Rustici quoque serinarii sunt, lignarii et murarii; omnes a tenera iam aetate ad has artes sese accingunt. Qui arte sua ceteris antecellunt, de toto aedificio exstruendo cum posseffore paclum ineunt et sic operarios necessarios sumtibus suis accersunt. Moscuae et Petropoli plura millia horum opificum occupati tenentur, etiam reliquis in oppidis magna in copia adfunt, praeter rusticos enim nemo has artes in Imperio exercet. Idem rustic etiam fabri ferrarii, claustrarii atque rhedarii ad artem suam exercendam tum in ruribus, tum in oppidis res suas accommodatos habent; multi etiam pannos fabricant ex serico et goffipio vt et pileos, praecipue autem lintea. Quaevis mulier artis textoriae perita est, et machinam hunc in finem possidet. Hae artes tam multiplices et variae efficiunt, vt rustic opibus abundant, multique diuitiis excellant. Hinc patet eos rusticos, qui vestigales sunt, cum a nemine in suis negotiis impediatur, felices sane vivere. Vivendi ratio atque cultus diuersis in regionibus diuersus est. Cibus omnibus rusticis idem est, iuscum nempe ex brassica, polygonum, sagopyrum, puls miliaria. Cum spiritus frumenti destillatio monopolium Imperantis sit, potum hunc emere tenentur; cereuiliam autem coquere licet, qua omnes vntuntur, eamque in cellis sub-

terraneis glacie repletis conseruant. Diebus festinis, quorum magnus numerus est, hilariter vivunt. Festum nativitatis Christi, Pascha, Pentecosten aliaque festa, per octiduum et diutius celebrant, quod epulando, ludos agrestes instituendo fieri solet, quum edendo bibendoque voluptatem quam maximam se percipere arbitrentur. Domicilia eorum ita constructa sunt, ut trabs alteri imposita atque incisa frigus nequaquam admittat. Vbi arbores deficiunt, parietes ex terra argillacea construunt sine trabibus. Aula horreo tecto circumdatur, in quibus armenta et equos habent. Frumentum et foenum retro domicilia in hortis aceruatum accumulatum conspicitur; frumentum sub dio vere, aestate et hieme quoque rigidissimo flagellant.

Cum hicce aedificandi modus incendiis admodum expositus sit, mandato iussum est, ut omnia rura incendio deleta, aut quae de novo sunt condenda quoad aedificia maius spatium occupent. Duo modo domicilia sibi apposita sunt, ita ut ab utroque latere spatum triginta pedum intercedat, quo horti conspicuntur. Hoc aedificandi genus, quod iam multis in locis usitatum est, ruribus speciem symmetriae praebet; incendio autem ultra duo domicilia deleri haud possunt, quum id intermedio spatio prohibeatur. Imperatrix pro summa erga subditos suos cura atque benignitate multa adhuc in rusticorum ceterorumque glebae adscriptorum commodum instituit; hoc pertinet, quod omnia sua funda, quae inculta facebant, nobilibus vendiderit. Supra enim iam diximus, nonnullas regiones agricolis ita abundare, ut illis sustinendis agri non sufficerent,

cum

cum contra multa alia loca prorsus inculta iaceant. Imperatrix illa Nobilibus vili admodum pretio vendidit, eodemque modo et hodie adhuc continuat. Nobiles itaque abundantes incolas dislocando omnibus agriculturae potestatem faciunt, ut supra rem pluribus explanauimus.

Prioribus temporibus glebae adscripti nequam se in libertatem vindicare potuerunt, et si dominus quoque id ficeret, mense tamen sexto elapsu ad seruitutem redeundum erat. Id autem propterea ita fese habebat, quod liberti nullam vitae conditionem amplecti poterant adeoque vestigali quoque Imperanti soluendo impares erant, qui ob hanc causam in capitulatione exigenda iacturam faciebat. Huic malo Imperatrix eo succurrit, quod libertis licentiam concederit opificum societatibus fese inscribendi, in quibus cum reliquis opificibus paria onera sustinent. Hoc autem nondum contenta Imperatrix, iterato mandato iussit, ut libertis in seruitutem redire nunquam concederetur, si etiam ipsis id vellent. Lex haec summis sapientiae principiis nititur. Libertis enim, si certiores sunt se bonum iustumque dominum obtenturos, facile persuaderi potest, ut servitutem iterum amplectantur, praecipue si sine laboribus vitam se asturos esse arbitrantur, dum contra liberi se ipsos alere et vestigalia simul solvere teneantur. Hodie itaque omnes liberti in statu suo permanent, eorumque numerus valde increscit. Nobiles enim multos suorum, dum adhuc viuunt, in libertatem vindicant, alii testamento suo idem faciunt, saepius omnes domestici post domini mortem liberi sunt, praecipue si nullos liberos habeant. Hi liberti vna cum sua progeniis etiam alumni in institutis publicis, de quin-

bus in Sectione II. mentionem fecimus, cùm numerum valde adaugent, vt Rossia citius liberos ciues et quidem magna in copia adeptura sit. Imperatrix a suis agricolis iam omnia seruitutis signa remouit, restant adhuc Nobilium serui, qui etiam felicem commutationem subibunt, si modo ingenium moresque melius excoletur, vt plebs maiori libertate frui digna euadat.

#### SECTIO V.

DE

**EXTERIS, QVI IN ROSSIA  
DOMICILIA SVA FIXERVNT, ROSSORVM-  
QVE POTESTATI SESE DEDI-**

DERVNT.

§. 22.

**P**riscis temporibus ad Rossiam adeundam exteri nequaquam inuitabantur; perpetua bella intestina omnes potius deterrebant, vt Clericis Graecis exceptis nemo exterorum illam frequentaret. Vrbes tamen Nowogorod vsum cum vrbibus foederatis habuisse videtur. Seculo enim XII. et foedus iam inierunt, et mercaturam mutuam egisse dicuntur. Ultra hanc vrbem autem, nulli exterritorum mercatorum vñquam perueniebant, hic enim merces a Rossicis mercatoribus depositas emere solebant. Circa finem seculi XV. Magno Duce Iwan Basiliowitschi regnante, Imperium ita iam fundari incepit, vt a diuersis Europae Principibus legati Moscuam mitterentur. Illis enim temporibus et Germanorum et Turcarum Imperator,

Reges

Reges Poloniae et Daniae, Respublica Venetorum, Papa denique huius Principis amicitiam quaerebant; haec legationes occasionem subministrarunt, quod iam tunc temporis exterorum quidam Moscuae permanerint.

Proprie autem exteri sedes suas in Rossia sub regno Czar Iwan Basilowitsch posuisse videntur. Natus Brittannorum per mare glaciale iter facientium ad ostium Dwinae appulsae fuerunt, Quum ab Imperante humaniter admodum recipierunt, in eo loco, quo hodie vrbs Archangel condita conspicitur, societatem negotiatoriam fundabant. Czar autem in oppido Narwa, quod tunc temporis quoque sub Rossorum dominatur erat, nundinas et horrea productorum Rossicorum instituit. Britanni, Bataui, Franco-Galli nouum huncce portum frequentarunt; Princeps autem omni opera eo nitebatur, vt eundem omnium usui accommodaret; imo et eo vsque procedebat, vt mercatores, artifices atque opifices Moscuam usque accertere studebat; circa finem quoque ipsius regni duo oratoria in usum Euangelicorum Germanorum ibidem iam fundata erant. Summa opera suos in artibus et scientiis erudiendos curabat, omniumque primus officinam typographicam instituebat. Exteri itaque proprie circa finem seculi XVI. pedes suos in Rossia fixerunt, quorum plurimi Germani erant, quidam quoque Britanni, quorum posteritas et hodie adhuc floret. Sub regnis subsequentibus, i. e. filio eius regis, et usurpatore Godunaf regnantibus aduenarum numerus quam maxime adaualus est; omnes enim hi Principes exterorum negotiationi omni cura prospiciebant, artifices quoque et exteros, quos accerserant, omni sua tutela dignos aestimabant.

In-

Initio seculi XVII. exterorum accessus inopinato bellis ciuilibus retardatus fuit. Plures quippe usurpatores, Demetriorum nomine, seditionibus turbisque Imperium ita debilitabant, vt periculum adiret, sub exteri Principis potestatem perueniendi. Rebus ita constitutis exterorum conditio admodum dubia erat, nec prius stabilita fuit quam circa finem seculi prioris. Secundus enim Princeps e gente Romanow, Alexi Michaelowitsch, restituit gentis auctoritatem, subditosque suos iterum ad scientias sollicitauit. Hunc in finem libros, qui de scientiis tractant, in vernacula vertendos curauit, fabricas et manufacturas instituit, exterorumque opera ad omnia haec exsequenda vius est, quos etiam magnis praemis afficit, eorumque priuilegia, quibus iam antea fruebantur non confirmauit modo, sed et nouis adauxit. Hoc modo suburbium Moscuae Germanis incolis abundare fedesque omnium exterorum stabiliri incepert. Omnes autem mercatores solum, artifices, aut opifices erant, muneribus aulicis, militaribus aut ciuilibus nullus adhuc eorum tunc temporis fungebatur. Petrus autem primus Imperii subditorumque conditione bene perspecta, iam inde ab adolescence gentem suam secundum ceteros Europaeos reformare decreuit. Ab hoc igitur tempore exteri reipublicae muneribus induebantur. Quum exercitus perpetuus institueretur, quotunque exterorum militiae praefecti aderant, admittebantur. Classe nauali instituta eodem modo res sese habuit; omnium enim primi Britanni et Bataui classi praeficiebantur; meritis autem et virtute quis Nobilitate potiebatur, iisdemque cum Rossicis Nobilibus gaudebat priuilegiis. Reliquos exteros omnes

ad

ad fabricas fundandas excitabat, iisque tum fundis tum pecuniis succurrebat. Scholis publicis institutis exteri quoque inter primos praeceptores locum tenebant, indigenisque etiam honoribus anteponebantur, dum illos scientiis superabant. Cuiuscunque religionis affectae aedes sacras sibi aedificabant scholasque publicas, et ita aduenae membra nascentis Imperii facta sunt.

Sub regnis sequentibus eodem in statu permanerunt exteri. Omnibus reipublicae muneribus fungebantur; negotiatio cum exteris gentibus magna ex parte per ipsos agebatur; gymnasii scholisque quoque praeerant; fabricas fundabant, in quibus merces Rossis antea incognitas conficiebant, et ita eorum conditio quoniam die in meliorem statum redigebatur. Non modo autem Europaei hosce fructus in Rossia percipiebant, verum etiam Orientales, qui negotiandi ergo Rossos frequentabant, eorumque multi sedes suas ibi posuerunt. Indi et Persae negotiandi causa frequentissime Astracan regnum adibant, eorum multi et hodie ibi reperiuntur, qui ex patria sua gossipium aliquae producta sibi comparanda curant, mercatoribusque Rossicis vendunt. Armenii et Graeci per totum Imperium dispersi sunt. Moscuae et Petropoli coenobia habent et ecclesias, ibidemque magna in copia reperiuntur. Multi eorum Vraniam quoque incolunt, atque immediate ex Turcia merces sibi comparant, quas deinde per totum Imperium diuendunt.

### §. 23.

Statim quum Augustissima Imperatrix thronum conseenderat, ad immensum vastissimumque suum

suum Imperium animum aduertebat; quumque  
 multas regiones magnis fertilibus agris praeditas,  
 incultas autem et desertas confexisset, colonos  
 in easdem mittere decreuit, ad quod exsequen-  
 dum tum suis, tum exteris vſu est. Sic partim  
 funda sua deserta Nobilibus vendidit, qui ipſi ex  
 praediōrum suorum incolis, quos nimia in copia  
 possidebant, colonos eo miserunt, partim vero  
 conscriptionis tironum loco maritos vna cum vxo-  
 ribus liberisque conuocauit, quod tempore pacis  
 fieri solebat, si exercitus nulla calamitate fuerit  
 diminutus; pro hisce familiis autem Imperatrix  
 Nobilibus quid soluebat, quia in tironibus con-  
 scribendis vxores plerumque, liberi autem semper  
 domi permanent. Hae nunc familiae hodiernis  
 temporibus multas Sibiriae regiones meridionales  
 incolunt, quae cum coelo gaudeant clementissi-  
 mo, agrisque fertilissimi, omni hucusque spei  
 satisfecerunt. Imperatrix praeterea ad Imperium  
 suum incolis instruendum, exteris quoque via est.  
 Hunc in finem publice declarari iussit, se omnes  
 exterios, quibus patriam deferere licet, receptu-  
 ram, iisque in regionibus tum agrorum fertilitate,  
 tum coeli temperie conspicuis fedes assignatarum,  
 tantamque agrorum copiam, quanta placuerit,  
 concessuram esse. Vbiuis locorum viros ad colo-  
 nos conducendos misit, qui eos omnibus necessariais  
 instruerent, quo commode quoque terra ma-  
 riue iter suum confidere possent; singulis pecunia  
 pro viatu definita et sufficiens assignabatur simul  
 et ipsa per terram mareue transportatio solueba-  
 tur. Quodsi ad sedes designatas peruenerant,  
 domicilia aliaque pro vſu domestico aedifica ipſis  
 exstruebantur, armenta quoque et omnia, quae  
 ad res domesticas administrandas pertinent, Im-  
 pera-

peratricis sumtibus ipsis exhibebantur. Iudices senioresque illi eligebantur, qui eadem lingua eademque cum illis religione vtebantur, id est, populares. Omnibus aedes sacrae aedificabantur, quae sacerdotibus, reliquisque ministris instruebantur. Petropoli forum instituebatur, quod cancellaria tutelae dicitur, quodque in genere omnibus exteris propriebebat. Omnes aduenae ad hoc forum configubant, a quo et sedes ipsis assignabantur, et pecunia viatuque instruebantur. Opifices, qui in oppidis domicilium suum figere cupiebant, omnibus necessariis adiuuabantur, et si in loca colonis assignata migrare vellent, omnibus copiis instruati eo transportabantur. Per annos triginta ab omnibus oneribus liberi sunt, quibus elapsis veetigalis quid ipsis soluendum erit. Omnia coloniarum fora sub Tutelae Cancellaria erant, quam de omnibus rebus certiorem facere tenentur, quaeque in omnibus rebus, quae ad cuiusvis coloniae utilitatem quid conferunt, consulenda est. Cum tantam itaque curam adhiberet Imperatrix, tantaque sapientia omnia disponeret, omnia quoque ex voto succedere debebant. Primis enim regni ipsius annis ante bellum cum Turcis gestum plus quam triginta millia familiarum ab exteris finibus migrando Rossiam adierunt; quibus omnibus diversis in regionibus sedes assignatae fuerunt. Ad vtramque autem fluminis Wolgæ ripam paeprimit pedes suos posuere. Haec regio quippe ipsis incolenda altera parte Asiam versus fluuiis Tarlic, Karamann maiori minorique altera vero Europam versus Medweditza fluvio alluitur, qui fluuii omnes in Wolgam se exonerant; a septentrione ab vrbe Saratov versus regnum Casan per centum Werstas, ad meridiem regnum-

regnumque Astracan versus per totidem quoque  
 Werfas sepe extendit, ut omnis itaque longitudo  
 triginta milliarium Germanicorum sit. Omnis re-  
 gion sub 46 gradu latitudinis septentrionalis situm  
 obtinet. Terra admodum fertilis est, rei pecua-  
 riae in primis apta, pratis enim ad armenta pa-  
 scenda abundat. Olerum diuersa genera, quae  
 Europa producit, maximo cum emolumento in  
 locis illis coluntur, vti variae speciei rapae, fo-  
 lanum tuberosum, quae ingentem molem adipisci  
 solent. Nicotiana quoque magno cum successu  
 colitur; quo producto non solum Imperium, quan-  
 tum eget, tum in foliis, tum iam fabricato in-  
 struitur, sed et magna eius copia extra Imperii  
 fines quoque transportatur. Wolgam flumen cum  
 mari Baltico coniunctum esse, supra diximus;  
 Nicotiana itaque hocce flumine Petropolin adue-  
 da exteris mercatoribus vendi potest. Frumen-  
 tum non tanta in copia adest; tempore enim aesti-  
 vo campi feruido aere valde comburuntur, qui  
 in planitiem montibus siluisque destitutam proten-  
 si maiorem aestum experintur, quam ab eorum  
 situ ratione latitudinis expectandum esset. Hanc  
 itaque ob causam incolae saepius spe meis cum  
 emolumento facienda excidunt, nilque nisi cul-  
 mos accipiunt; quodsi autem frumentum ab aridi-  
 tate nil detrimenti accipiat, in magna quoque co-  
 pia colligitur. Terra quippe admodum opima  
 est; penuriam pluviae roris abundantia natura  
 compensat, vt olera et milium terra magna in  
 copia producat. Milium enim incolis magno  
 semper emolumento est, quumque terram aridam  
 amet, vti nemini ignotum est, granum hoc cerea-  
 le in magna semper copia obtinent incolae; far-  
 na autem inde parata tum sanitati inferuit, tum  
 gustui

gustui est suauissima; olera quoque incolis largum nutrimentum praebent; premente quoque necessitate farina ipsis Imperatricis sumtibus gratis mittitur. Tempore sequenti forsan incolae sua industria experimentisque reiteratis eo tandem perueniant, ut eas granorum cerealium species inueniant, quae huic terrae apta sunt, aerisque ardorem ferre valent; nec spes deest, eos perscrutando eo tandem peruenturos, adeoque res suas in meliorem statum redacturos esse.

His itaque in regionibus, quarum situm et naturam mox descripsimus multa millia familiarum sedes suas posuere, et quidem secundum sequentes diuisiones, Prima Colonia *praefectura Catharinae* dicitur, ad quam viginti circiter oppida et rura pertinent; vrbs in eadem primaria *vrbs Catharinae* vocatur, quae iam hoc tempore et incolis et opibus excellit, quumque ad flumen Wolga sita sit, spes est, eandem subsequentibus temporibus adhuc opulentioram euafuram esse. Hac in vrbe tres sunt ecclesiae, quae Catholicis, Reformatis atque Euangelicis destinata sunt. Hanc coloniam Imperatrix ab initio more Heluetorum tractare voluit, ita vt quiuis vir pugnandi compos miles esset; vtque hunc in finem in legiones et hae in centurias diuiderentur, atque ipsi ex suis praefectos sibi eligerent, diebusque solis atque festiuis in armis se exercerent, quo omni tempore exercitus ad turbas finitimorum tartarorum sedandas paratus adesset; quam diligentiam quoque Imperatrix ante Calmucorum profecionem in Chinam omni jure adhibendam esse existauerat. Omnia autem, quae sibi proposuerat, non ad finem fuere perducta, quoniam cum praefecto

fecto discordiae oriebantur, ita vt nunc haec colonia cum ceteris pari passu ambulet.

Altera, quae fundata fuit Colonia, parimodo quoque ex viginti circiter oppidulis ruribusque constat. Una cum priori colonia, de qua modo diximus, ad ripam fluminis Wolga Asiam versus sita est. Tertia colonia ab ipsa Imperatricie fundata est, Europam versus ad ripas dicti fluminis Wolga sita, haecque duplo maiori numero incolarum gaudet, quam duae priores. Omnes hi dicti coloni olim a Cancellaria Tutelae, quae in vrbe Sarotov sedem suam habebat, dependebant. Ceterum in circulos ita diuisi erant, vt singulis commissarii praeesseynt exteris originis, et cuiusvis oppidi incolae Scultetum sibi eligerent cum Assessore, qui iudicium inferius constituebant.

Haec omnia in guberniorum reformatione mutata sunt, ita vt Tutelae Cancellaria prorsus sublata sit, coloniae autem ad Magistratum gubernii, in quo situm suum habent, pertineant. Iudicia inferiora eodem modo sese habent, sicuti eadem, cum de oppidanis et rusticis sermo esset, descripsimus, vt in quoquis oppido aut rure incolae ex suis iudices sibi eligant, causasque suas in conventibus indicent; appellations autem vt et causae grauiores ad iudicium gubernii deferantur, vbi secundum leges consuetas diiudicantur. Coloniae, quas descripsimus, hodie ad Gubernium Saratov pertinent, et rebus suis optime vtuntur. Quod si autem aliquando experientia edocet omnia commodity perspexerint, quibus in noua sua patria frui possint, melior adhuc eorum conditio erit. Hodiernis enim temporibus iam magis florere deberent Coloniae; multi autem forsitan in re sua dome-

domestica administranda negligentiores, pecunias antea ab Imperatrice ipsis suppeditatas bene collocare ignorabant, forsan et Imperatricis manda-ta, quae ex animo beneuolo in fauorem eorum profluebant, non obseruata sunt.

Herrenhuthiani Sarepta, quod oppidum est hand procul ab vrbe Zaritsin coloniam insti-tuerunt; admodum copiosi sunt, manufacturasque possident, in quibus pannos ex goslipio, lana et serico conficiunt; etiam Nicotianam tam ad fuman-dum, quam sub pulueris forma fabricant, quam in rem plantis ex propriis plantariis vtuntur. Moscuæ, Petropoli, aliisque in vrribus magna horrea mercium habent, ita vt amplam negotia-tionem agant. Haec colonia immediate ab Imperatricis Concilio dependet, hinc semper Petro-poli legatum habent, qui eorum causas apud Imperatricem agit, et ad quem omnia mandata im-mEDIATE deferuntur. Praeterea in Verania, et quidem prope vrbum Charkov etiam in vicinitate Petropolis, multae coloniae conspicuntur, quae omnes prospere rebus suis vtuntur. Vrbem enim omnibus oleribus, butyro, lacte, ouis, pecore, animantibus volatilibus etc. instruunt; quas res omnes magna in copia et quidem magno pretio vendunt.

Multae familiae aduenarum quoque singulae in oppidis domicilia sua fixerunt, quorum alii op-i-fices erant, alii artes profebantur, multi a No-bilibus aut a fabricarum possessoribus mercede conducebantur, vt Imperium etiam hac via sub-di-tos nanciseretur.

Quas recens acquisiuit Imperatrix prouin-cias, Cubam, et Churfœnum, et Tauricum omni cura incolis instruere curat. Cum indigenæ

ob religionis diuersitatem, quo in posterum maiori cum libertate suam exercere possint; maxima ex parte patriam suam defuerint, Graecos atque Italos has in regiones mittendos curat Imperatrix, qui aestui adiusti sunt. Hae coloniae quoque, pro tempore, quo durant, mediocriter se habent, nec spes deest, multos Graecos ex Turcarum finibus huc migraturos esse.

## §. 24.

Hucusque de exteris, qui in Rossia sedem suam posuere, locuti sumus, restat nunc, ut quaedam in genere de statu eorum praefenti dicantur. Exteri hodie pro sua dignitate et munere, omnibus illis priuilegiis fruuntur, quae Rossis ipsis obueniunt. Muneribus enim et militaribus et ciuilibus induuntur, inque honoribus nullo modo indigenis postponuntur; meritis suis Nobilitatem cum omnibus eius iuribus assequuntur. Eorum multi a consiliis secretis sunt; multi in Collegio, quod exterorum causas curat, sedem habent; multi muneribus aulicis induti sunt. In exercitu duces, tribuni, ceterique praefecti ex exteris conspiciuntur. Muneribus ciuilibus magna exterorum copia ornata est, quorum nonnulli ad dignitatem vsque senatoris summique gubernatoris peruererunt. Qui ita muneribus funguntur, funda sibi compararunt, talique modo res suas in noua sua patria disponuerunt, vt pristinam nunquam desideraturi videantur.

Multi exterorum negotiandi causa in Rossia domicilia sua fixere; omnem extra fines Imperii negotiationem curant, domi et fabricas habent et manufacturas, omnibusque illis fruuntur iuriis, quae mercatoribus obueniunt, vti id supra iam

iam monuimus, ideo autem etiam omnia ea praestare tenentur, quae omnibus eiusdem classis membris conueniunt.

Qui opificia profitentur, omnibus iuribus et priuilegiis, quae opificibus concessa sunt, fruuntur et paria onera indigenis ferunt.

Multi exterorum neque munere funguntur, neque negotiantur, neque artes quasdam exercent. Ita multi erudit*i*, artifices aliqui suis scientiis vita necessaria sibi comparant, nec quicquam vedi*g*alis solvunt.

Omnes exteri vitae genere diuersi sub iurisdictione eius oppidi sunt, vbi aut sedem suam fixam habent, aut aetatem degunt. Si in oppido quodam quingentae exterorum familiae deprehenduntur, dimidium Magistratus partem ex exteris constare, iam dictum fuit; vti id Moscuae, Petropoli, in vrbe Archangel, Astracan aliisque in locis obsernatur; his in vrribus sub iurisdictione Magistratus sui exteri sunt, qui omnes eorum cauas curat. Hinc quoque propriis suis consistoriis vtuntur inque omnibus tam ciuilibus, quam ecclesiasticis rebus paria iura cum indigenis habent. Praeterea ex omnibus gentibus aduenae Rossiam adierunt; ex Oriente Graeci et Armenii frequentissimi sunt, qui magna ex parte mercatores sunt. Ex Georgia multi Nobiles in Rossiam peruererunt, qui militiam sequuntur, quorum multi Principum titulo gaudent, quique a minoribus Georgiae Principibus originem trahunt. Indi quoque, Persae, Buchari inueniuntur, quorum ali sedem suam fixam habent, alii modo per Imperium hoc itinera faciunt, negotiisque suis peractis in patriam reuertuntur, quique omnes

mercatores sunt. Inter Europaeos sine dubio quantitatis ratione Germani primum locum tenent, qui etiam ab initio omnium primi in Rossia sedes suas posuere. Qui exteri quoque in republica muneribus funguntur, magna ex parte Germani sunt. Medici, Chirurgi, Pharmacopolea ut plurimum eiusdem nationis sunt; quae Rossos quoque ab initio omnis generis artes docuit, quas ipsi hodie adhuc cum emolumento exercent; mercaturam vti reliqui quoque profertur. Britanni et Bataui iam inde a Seculo XVI. negotiandi causa in Rossia domicilia sibi fixerunt; quorum illi et hodie adhuc Moscuae, Petropoli, Archangelopoli amplissimas societates negotiatorias habent. Franco-Galli quoque in magna copia adfunt, qui artes quasdam profertur, et iis cum rebus mercantur, quae ad cultum elegantiores pertinent, praeterea etiam rem paedagogicam in Nobilium domibus exercent. Omnia denique populorum exteri in Rossia conspicuntur, numerus autem eorum adeo exiguis est, vt nunquam peculiare corpus efforment.

## SECTIO VI.

DE  
TRIBVNALIBVS IMPERII ROSSICI,  
EIVSQVE FORIS COMPETENTIBVS.

§. 25.

**P**riscis temporibus iustitia eodem modo apud Rossos sese habuit, ac illam alios apud populos nouimus. Imperantes enim Nobilium causas in Bojarorum consilio, hi autem subditorum suorum cau-

causas iudicabant. Oppidanum cum ipsi se admissarent, proprio quoque magistratu gaudebant. Leges conscriptae aut omnino deerant, aut exiguo saltem numero inueniebantur; in priscis enim relationibus nulla fere de ea re mentio fit. Ius Romanum et alia exterorum iura nunquam in Russia locum obtinuerunt; iudicia summatim ferebantur, qui quis causam suam verbis recitabat, quo facto more maiorum aut secundum usum iudicabatur, et si haec decesserent, ratio sola omnia suppeditabat.

Omnibus autem Imperii Russiae partibus sub vnius potestatem redactis, haecce administrandae iustitiae ratio simplex sane atque inculta mutata fuit. Czar enim Iwan Baslowitsch codicem publicauit, qui et hodie adhuc sub nomine Zudebrik adest. Secundus e gente Romanow successor Alexei Michaelowitsch etiam codicem priori majoris voluminis publicauit, qui *Uloshenie* vocabatur, quique et hoc adhuc seculo usque vim legis habuit. Petrus I. leges, nouas praeprimis ferendo valde adauxit, isque omnium primus apud Rossos Legislator habendus est; hoc enim respublicae bene administrandae officium Viro illi magnae curae cordique fuit. Qui post Petrum ad Augustissimam usque Imperatricem summis rebus praefuere, singulis mandatis leges admodum auxerunt, nemo autem eorum leges hasce colligere, et in codicem redactas publicare curauit; hi codices et singula mandata vim legis habebant. Nemo unquam de omnibus illis diuersis legibus excerpens, aut historice describendis cogitauerat, id quod ad eas cognoscendas atque edificeandas multum contulisset; publico enim nullibi do-

cebantur. Earum cognitio proprie ad scribas, de quibus supra locuti sumus, pertinebat; pater eandem ad filium propagabat, non autem docendo, sed quotidiano vsu. Serui Nobilium, homines quoque liberi per multos annos in Cancellariis scribarum munere fungebantur, vbi et describendo et faepissime audiendo scientias quasdam sibi comparabant, deinde experientia et vsu edocti aduocati fiebant. Qui scribarum reliquos scientiis antecellebant, in collegiis Secretariorum munere inducebantur. Iudices autem homines militares erant, omni legum scientia destituti, quam quidem vsu quotidiano quodammodo sibi comparabant. Cum ita ad munus suum sese accingerent, prorsus in potestate eorum erant, quos sub imperio suo habebant, quorum consilio omnia iudicabant.

Sub hisce rerum circumstantiis, iustitia necessario detrimentum capere debebat. Totum enim Imperium in duodecim gubernia diuisum erat, quorum numerus tempore sequenti quibusdam auctus est, quorumque fines longe lateque extendebantur; quoduis Gubernium iterum in provincias, haec autem in circulos subdivisiæ erant. In omni Gubernio Gubernator, Progubernator et aliquot Assesores fedem suam habebant; in quavis provincia autem Woiewoda cum Procuratore duabusque Assessoribus residuebat. Fora circulorum illis in provinciis, haec autem iis in guberniis subiecta erant. Nobiles, mercatores omnesque homines liberi his foris erant subiecti. Cum autem faepius queuis provincia magnitudine regnum quoddam Europaeorum superaret, in eaque solummodo quatuor iudices essent, qui vna cum aliquot Subministris et iustitiam exercebant, et

et disciplinam publicam curabant, simili et vestigia exigebant, cum adhaec Gubernii iudicium, sub quo plura iudicia prouinciarum erant, ex sex aut octo tantum membris constaret, quomodo adeo immensam vastissimamque regionem exiguis ille numerus administrare potuit?

Oppidani etiam iudiciorum hisce parebant, licet proprio suo magistratu vterentur, et Moscuae quoque Magistratum supremum haberent, ad quem omnes res negotiatoriae et syngraphae pertinebant, in reliquis autem causis nullam iurisdictionem habebat. Rustici Imperantis, quoad iurisdictionem sub Administratoribus erant, isti Nobilium dominos suos iudices habebant; in delictis publicis autem et criminalibus, ad fora gubernii, prouinciae et circuli pertinebant.

Fora omni Imperio communia Moscuae erant, collegium scilicet iustitiae et alterum, quod praedia curabat. Ad illud omnes causae per modum Appellationis a iudiciis guberniorum deferebantur; hoc omnes relationes et documenta, quae praedia eorumque iura respiciebant, conserbavat, nonnullis in casibus etiam iurisdictionem exercebat.

Summum Tribunal Senatus erat, quod ultimum erat refugium, et ad quod causae examinandi gratia deferebantur. Praeterea initio huius seculi alia adhuc collegia in usum peculiarem fundata fuerunt; veluti Collegium Causarum exterorum, Collegium bellicum, marinum, cameralē, negotiatorium, Collegium rei metallicaē, Oeconomiae et alia, quorum nomina iam usum, in quem destinata erant, indicant, quaeque magna ex parte in Guberniorum reformatione seorsim permanerunt, quia res communes curant,

eamque ob rem cum foris guberniorum coniungi  
haud possunt. Tali in statu iustitia fere erat, cum  
Augustissima Imperatrix in regnum succederet,  
omnia statim fororum vitia perspexit, adeoque  
eorum reformationem necessariam duxit in Imperio  
praecipue tantae vastitudinis. In manifesto,  
quod A. 1775 publicauit, ipsa fatetur, se statim  
ab initio regni sui administrationem Imperii inter-  
nam reformandam animo habuisse, ob hanc rem  
iam A. 1766 deputatos ex omnibus Imperii re-  
gionibus ad se conuocasse, bello autem cum Tur-  
cis gesto hac in re fuisse impeditam; Petrum pri-  
mum iam hoc sibi proposuisse dicit, maturius au-  
tem ipsum mortuum esse, successores autem eius  
aut per nimis breue temporis spatium regnasse,  
quo minus id perficerent, aut bellis diuersis cogi-  
tandique ratione prohibitos fuisse. Denique in  
eodem scripto adhuc addit, quod, cum multa  
gubernia iusto vastiora essent, et causae prorsus  
diuersae ad unum idemque forum pertinerent, ob  
multitudinem autem causarum foras et tribunalia  
nequaquam sufficerent, hinc gubernia nimis vasta  
in minora diuidenda existimauerit, proque diuer-  
sis causis diuersa quoque foras instituerit; sic Imper-  
atrix loquitur, quae omnia ipsa veritate nituntur.  
Quam pauca enim foras in vastissimis provinciis  
erant, quam exiguis iudicium numerus, qui ad  
haec legum ignari erant, vidimus. Vetus Gu-  
bernium Moscouiae, quod hodie in gubernia  
Moscouiae, Twer, Jaroflaw, Costroma, Tula,  
Caluga et Wolodimer diuisum est, quodque ma-  
gnitudine regnum Galliae adaequabat incolisque  
sufficientibus, imo quibusdam in locis et nimis  
abundabat, hoc, inquam, gubernium circiter  
150 munera habebat in iudiciis, quae iustitiam,

di-

disciplinam publicam et vestigalia curabant. Hoc vnum exemplum sufficit, quo quisque perpicere possit, quam necessaria fuerit reformatio. Nunc itaque eam quoad formalia gradatimque, ut magna ex parte iam in Imperio obseruatur, descrip-  
turi sumus.

§. 26.

Quod ad iustitiam in ruribus pertinet, hac de re Sectione IV. iam quaedam diximus, vbi agricultos liberos, ad quos nationes diueriae exterae originis, et illi, quos Odnoworzi appellauimus, referendi sunt, ex suis sibi iudices eligere vidimus, ita vt omnes causas inter se absoluere possint, si ab altera parte ad iudicium circuli non deferuntur. Agricolae itaque iure municipali proprie fruuntur vna cum oppidanis. Plura rura praefecturam conficiunt, quae Superiorum cum aliquot Assessoribus habet, qui officio iudicium funguntur. Per triennium in munere suo permanent, quo elapo iterum alii eliguntur. Haec iudicia praefecturarum sub iudicio rustico circuli sui sunt, quod omnibus querelis satisfacere debet. Imperantis rustici eodem modo sese habent; Nobilium autem rustici in causis ciuilibus ad dominum suum et in delictis publicis ad iudicia Circulorum pertinent, vt supra iam vidimus.

Oppidani propria iurisdictione propriisque iudicibus vtuntur. Magistratus eorum ex duobus consulibus et quatuor consiliariis constat, qui quovis triennio creantur. Hicce Magistratus omnes causas iudicat, tum eas, quae ad aes alienum pertinent, tum et alias; ab eodem cause per modum appellationis ad Magistratum Gubernii deferuntur. In urbibus magnis seniores adhuc

cum

cum aliquot Assessoribus inueniuntur, qui causas minutiores periculo in mora summatis in sua parte urbis iudicant. Hi iudices quouis anno eligi solent. Praeterea collegium pupillare exstat, quod viduorum orphanorumque rebus prospicit, itemque Senatus oppidanorum, quorum de officiis iam supra §. 17. locuti sumus.

Ex his, quae hucusque diximus, satis superque constat, et oppidanos et rusticos propriiure municipali vti; cum enim iudices habeant ex suis, se ipsos administrant. De omnibus in republica commutandis, tam apud oppidanos, quam rusticos, in conuentibus publicis deliberant patresfamiliae, et secundum plurima vota sententiam ferunt. Si ordinis et pacis studiosi sunt, omnia inter se absoluere possunt, neque vlo magistratu alieno egent.

Licet praefectus disciplinac publicae in opidis securitatem atque disciplinam curandi ergo ab Imperante constitutus sit, nullam tamen iurisdictionem habet. Quo officio suo satisfaciat, quemuis quidem prehendere potest, sententiam autem ferre, aut modum poenae definire nequit; sed eum, qui crimen commiserit, cum literis, quae de facto testantur, foro competenti tradere debet.

§. 27.

Cum recentissime Imperium de nouo in gubernia et circulos diuidetur, cuius circulo numerus viginti ad triginta millium incolarum et quidem marium assignatus est, qui agricultae sunt, et capitacionem solvunt; in quibusdam circulis huncce numerum superant, vt et ad quadraginta millia incolarum marium, qui omnes vestigales sunt,

funt, reperiantur. Si nobiles cum reliquis incolarum ordinibus et sexus quoque sequior adnumeratur, multis in circulis vel centum millia incolarum reperientur. Cuius circulo iudicia sunt, quae pro causarum diuersitate diuerso quoque feso habent. Huc pertinent

- a) Iudicium Circuli sensu strictiore. Ad hoc omnes causae incolarum iudicandae pertinent. In omnibus causis civilibus et criminalibus quaeque ad praedia pertinent, Nobiles hic iudicantur; si iudicium rusticum inferius causam aliquam absoluere non potuit, ad hoc iudicium eam defert. Ab hoc iudicio appellatio ad iudicium agreste Gubernii superius fieri solet. In eodem Iudex, duo Assessores et quidam Secretarii sedem suam habent.
- b) Iudicium rusticum inferius. Hoc proprie securitatem et disciplinam publicam curare debet. Pontibus viisque publicis prospicit, securitatem incolarum curat; quem in finem, si latrocinia aut furta perpatruntur, a praefecto in oppido circuli sui cohortem militum exposcit ad latrones persequendos et prehendendos. Morbi pestiferi tam inter homines, quam bestias grassantes ne propagentur, opem ferendo impedire debet; aedhaec adficia in ruribus ita condenda curare debet, quo incendio haud facile deleri possint. Quae aedificia incendio deleta, aut de novo fundanda sunt, ad formam praescriptam, ut extiruantur, quoque curat. Omnes discordias, quae in limitibus definiendis, aut inter rusticos oriuntur, tollere et ut nemini noceatur, prouidere tenetur; quodsi autem eiusmodi

nego-



negotia in causam iudicialem degenerent, acta de ipsis ad forum circuli defert; ut Imperantis mandatis omnes obedient, curam intendit, eosque, qui contra agunt, in causis minutis statim punire potest, grauiores autem ad iudicium circuli sunt relegandae. Praefectus circuli hoc in iudicio Praefes est, duos tresve Assessores, Secretarium, aliosque inferiores habet. Officio admodum gravi praefectus ille obstrictus tenetur; ipsi enim omnis fortuna Circuli commissa est; agrorum filiarumque oeconomiam promouere omniumque reliquarum rerum curam gerere tenetur, quae ad duitias comparandas et ad cultum elegantiorem propagandum pertinent. Iurisdictione tamen in omnibus hisce rebus caret, nec quemvis cogere potest.

c) Forum rusticum inferius rusticis liberis, iisque Imperantis destinatum. Iam supra §. 18, diximus, iis in circulis, quos decem, aut plura millia Odnodwortzi aut rusticorum Imperantis incolunt, iudicium peculiare institutum esse. Iudicia illa eodem fundamento cum iudiciis rusticis inferioribus nituntur, et differimen ab illo rusticorum originem trahit. Ad illud enim praedia Nobilium, ad hoc rusticci liberi, et qui Imperantis sunt, pertinent. Imperatrix ideo iudicia peculiaria iis in circulis, in quibus numerus necessarius incolarum adest, instituenda existimauit, quia in inferioribus iudices ex Nobilibus eliguntur. Iure domini itaque vtens rusticis suis propriis iudices dedit. Iis in foris iudex cum aliquot Assessoribus pro numero incolarum sedem habet. Appellationes ad forum

rusti-

rusticum superius sunt, quod in vrbe Gubernii residet. Iudicia denique haec non in omnibus circulis absunt; vbi enim numerus necessarius incolarum deest, etiam desunt, tuncque rustici iudicio circuli communi subiecti sunt.

- d) Collegium pupillare Nobilibus destinatum. Collegium hocce, cui Circuli praefectus praefest, et iudices circuli Assessores habet omnibus pupillis circuli sui prospicere tenetur. Non modo viduarum orphanorumque fortunas, sed mores quoque curat. Pueros et puellas Nobiles parentibus destitutos et pauperes in educatione adiuuare debet, et si nulla alia via patet, institutis Imperantibus ipsos tradere tenetur, vt omnes orphani et gentes honeste edacentur. Tutores quoque designat eorumque sumtus annuos examinat.
- e) Forum disciplinae publicae, cui praefectus oppidi praefidet, de quo §. antecedenti iam sermo fuit. Ipsi praefecto disciplinae pro magnitudine urbis Assessores quidam adiuncti sunt; milites oppidi sub eius imperio sunt, quos, si alia circuli iudicia illis egent, mittere tenetur. In omnia aedificia Imperantis, in omnia horrea, inque omnes res, quae Imperantis sunt, inspectionem exercet. In primis etiam sal et spiritum frumenti vendendum curat, quodque monopolium Imperantis est. Hic denique quasi princeps urbis aestimandus est; omnium incolarum fortunis prospicere tenetur, iurisdictione tamen, vt supra iam dictum, caret, ita vt omnes causas ad fora competentia deferre teneatur.

f) Col-

f) Collegium Aerarii Circuli, quod suum praefectum aliosque subministros habet. Praefectus hicce omnia sui circuli vestigalia colligit, ipsasque pecunias et earum rationes ad aerarium Gubernii defert, quod sub Collegio camerali est. Ad collegium aerarii quoque venditio fatis et spiritus frumenti pertinet, quibus rebus utrisque praeses est, qui merces vendendas ex horreis comparat, pecuniasque aerario circuli tradit. Collegium hocce omni iurisdictione caret; si quos in vestigali soluendo cessantes vi cogere debet, ad forum rusticum inferius confugit, quod ipsis hac in re operam suam praefstat.

Praeterea in quoquis oppido aduocatus adhuc ab Imperatrice designatus residet, qui curat, ut in omnibus foris hucusque descriptis Imperantis mandatis omnes obsequantur; eos, qui contra agunt, in iudicis guberniorum indicare tenetur. Adhaec cuius Circulo metator est, qui omnes discordias omniaque, quae ad munus ipsius pertinent, foro rustico inferiore postulante, secundum delineationem ab omnibus praediis comparatam examinare debet. Quinis circulus denique Medicum suum et Chirurgum habere debet. In reformatione Guberniorum unum Gubernatorem duobus Guberniis inter se confinibus Imperatrix instituendum esse existimauit. Vir ille ius omnino non dicit, leges autem sub eius tutela sunt, omnium fortunis instar patris prouidere et oppressis auxilia ferre debet. Ipse nulla in re iudicium fert, iudices autem, in quorum foro causa quaedam agitur, impellere potest, ut citius sententiam dicant; sententia lata executionem prorogare potest, eamque ad Senatum, aut immediaete ad ipsam Imperatricem

cem referre tenet. In criminalibus nemo eo inscio condemnari potest. Ex officio etiam obstritus tenetur, curare, quo vietus in Gubernio suo abundet; si annonae caritatem suspicari potest, remediis opportunis vti debet. Ut iuste recteque vecigalia exigantur et tirones militares sistantur, ipsi quoque prouidendum est. Seditionibus ortis ita agere debet, vt in illis sedandis omnem operam collocet. In guberniis ad fines Imperii sitis finitimis inuigilare tenetur; et necessitate instante remedia defensiva parare debet, si dux quidam alius id facere haud iussus est.

Omnes Gubernatores sedem in Senatu habent et ipsi in eodem causas gubernii sui peragunt. In guberniis suis ipsam Imperatricem repraesentant; viginti quatuor milites eorum corpus custodiunt, quibus praefectus praefest. Omnes illustrioris originis hospites, qui vrbem, in qua residet, adeunt, ad conuiuium inuitare et diebus solis ac festis Nobilibus publice spectacula dare tenetur; quem in usum quoque sex millia rubelorum quotannis accipit. Ipsi merces, secundum dignitatem, qua in exercitu indutus est, et secundum alias quoque res definita est.

Quouis in gubernio pro causarum varietate etiam tribunalia diuersa sunt, quae sequentia sunt,

- a) Tribunal superius Gubernii, in quo summus Gubernator praesidet. In huius absentia, aut si morbo detineatur, primum locum Gubernator, et hoc quoque absente progubernator tenet; praeter haec membra duo adhuc Coniliarii Assessorum loco adsunt. Ad hoc tribunal omnia Imperantis, Senatus auf aliorum tribunalium mandata publicandi causa mittuntur. Tribunal eodem officio, quo

K

Sum-



Summus Gubernator, obstrictus tenetur, qui folius nihil peragere potest, sed cum eo coniunctus, excepte, si quae causa nullo modo prorogari potest. Tribunal itaque hoc iurisdictione omni caret, nil agit, nisi ut iustitia, ita ut par est, obseruetur, et leges custodiantur; curat quoque, ut pax et securitas in gubernio suo consernetur. Procurator Gubernii et Aduocati, si quis ab hoc deflectit, id tribunal denunciant, quod causam ad forum competens relegat. Tribunal denique hoc immediate sub Senatu est, quo excepto nullibi conquerendi causa refugere licet.

b) Tribunal criminale, in quo Praefes, duo Consiliarii totidemque Assessores sedem habent. Etiam adiuvato vtitur, qui Summo Gubernatore aut iubente, aut concedente causas dicit. Hoc tribunal omnia criminalia indicare debet, quae necem, dedecus aut corporis poenas merentur, talibusque in causis omnibus ultimum refugium habetur. Quae delicta sub iurisdictione Iudicij Circuli, Iudicij rusticorum aut Magistratus oppidi commissa fuere, ibi quoque iudicantur; et si ita feso habent, ut necem, dedecus aut corporis poenas evitare possint, sententia a Iudicis illis inferioribus pronuntiar, quam etiam exsequuntur; quæsi autem delictum altera harum poenarum dignum est, tum acta ad Iudicium rusticorum superius, aut pro rei dignitate ad Magistratum Gubernii mittenda sunt, qui sententiam ferunt, et sine Appellatione dein acta ad tribunal criminale examinanda mittunt. Causa examinata Summo Gubernatori sententiae ferendae ergo comuni-

municatur, quo facto in eo loco, vbi crimen commissum fuit, reus punitur.

c) Tribunal ciuale, quod praeside, duobus consiliariis totidemque Assessoribus constat, in suo genere summum locum quoouis in gubernio tenet; omnes causas, quae olim ad forum iustitiae, collegiumque camerale pertinebant, indicat. Quae caufae a iudiciis circuiti a iudicis rusticis inferioribus et a magistratu oppidi ad forum rusticum superius et ad magistratum gubernii per modum appellationis deferuntur hoc tribunal revisionis causa adeunt.

d) Collegium camerale, cui Progubernator praesidet; praeterea director adest oeconomiae, Consiliarius, duo Assessores, et praefectus aerarii Gubernii. Collegium hoc omnes redditus Imperantis, omnes causas camerales, omnes redditus et summus omnesque rationes curat, tabellas census disponit, omniaque, quae ad salinas et spiritum frumenti pertinent, et in summa in omnia vestigalia, quae Imperanti praestantur, etiam in eiusdem aedificia inspectionem exercet. Collegium ipsum iurisdictionem non habet; ad summum gubernium tribunal confugit, si aliquid iudicandum est, quod per advocatum Gubernii causam et iudicare et absoluere curat. In primis id agere tenetur, ut in vestigalibus exigendis nemo vexetur. Omnes rationes et tabellas quotannis summatis Summo praefecto aerarii exhibet. Praefecti aerarii circulares itemque ii, qui salinas et spiritum frumenti curant sub collegio camerali rationes suas ipsi communicare tenentur. Is praefectus aer-

rii, qui in collegio sede votoque gaudet prae omnibus reliquis pecunias Imperantis et custodit, et de ipsis disponit, quae singulis mensibus examinantur; etiam ipse gubernator interdum in eas inquirere debet.

- e) Forum agreste superius duo iudicia comprehendit, quorum ad alterum criminalia, ad alterum civilia pertinent. In eo praefes et octo Assessores sedent, qui omni triennio a Nobilibus ex membris suis eliguntur. Omnes causae, quae in iudicio Circuli, in iudicio rusticō inferiori et in Collegio pupillari aguntur, ad hoc iudicium appellando deferuntur; si causa, de qua agitur, plus quam centum rubelos valet, etiam ab hoc iudicio ad tribunalia suprema refugere licet. Huic iudicio quoque Procurator et duo Aduocati adiuncti sunt, qui criminalia et causas Imperantis agunt.
- f) Iudicium superius rusticis liberis iisque Imperantis destinatum est. Hoc iudicium non nisi in iis guberniis locum habet, in quorum circulis iudicia rusticā inferiora iisdem incolis destinata innueniuntur; eodem fundamento cum iudicio rusticō superiori, de quo supra diximus, nititur; appellatio ab eodem ad tribunalia Gubernii fit.
- g) Magistratus Gubernii, qui Praefide, Propraefide sexque Assessoribus gaudet, qui omni triennio ex oppidanis eliguntur. Omnes magistratus circulorum, iudicia pupillaria oppidana, omnesque res oppidanae huic iudicio commissiae sunt. Causae per modum revisionis ad tribunalia guberniorum competen- tia deferuntur.

h) Iu-

h) Iudicium Conscientiae. Huic unus Index est, et multi Assessores ex omnibus Ordinibus, quorum quisque causas sui ordinis iudicat. Hoc iudicium iis causis destinatum est, quae nimis obscurae sunt atque incertae, et in quibus accusator documentis certis destitutus est. Iudicis officium est, ope Assessorum eiusdem ordinis in quo partes sunt, rem in bonam partem componere; quem in finem omni comitate vti debent. In casibus dubiis postulare potest, vt iuriurandum purgatorium praefetur, quod si vna pars facere nolit aut aliter inique fese habet, vt ea itaque causa ad aliud tribunal Gubernii deferatur, tum acta a iudicio conscientiae illi mittuntur. Hoc iudicium magna utilitate est, praecipue iis in casibus, in quibus leges positivae ob certas causas nimis durae sunt, ad quas mitigandas admodum aptum est.

i) Collegium, quod Instituta publica curat. In hoc Gubernator ipse praeses est vna cum octo Assessoribus ex iudicio rustico superiori et ex Magistratu Oppidi. Omnes scholae publicae, Orphanotropheae, Nosocomia, Ptochia, hospitia infanorum, ergastula, omnia dein Instituta publica curae huius collegii commissa sunt, in quibus sustinendis et amplificandis suam operam conferre debent. Imperatrix singularis hisce collegiis ab initio pecunias dono dedit, et aliquot redditus concessit, quorum ope illa et instituenda et sustinenda sunt. Quodvis Gubernium praeterea Decempedatore, Architecto, Medico et Chirurgo instrutum est, qui in causis quibusdam de iis rebus, quae ad eorum artes pertinent, attestare debent.

Cum omnia hucusque fora, quae in quois gubernio sunt, descripsimus, in genere adhuc quaedam annotanda sunt. Licit supra iam quaedam de electione iudicium dictu fuerint, haud absurdum tamen videtur pluribus hanc rem exponere. Summi Gubernatores itaque, Gubernatores et Progubernatores ab ipso Imperante creatur; Praesides Iudiciorum gubernii ab eodem, Senatu commendante, eliguntur. Consiliarii atque Assessores in Iudiciis tribunalibusque guberniorum, id est, in iudicio criminali et ciuili, in Collegio Camera- li; procuratores denique Gubernii Aduocati praefectique oppidi a Senatu creatur; iudicia gubernii commendatione Praefecti aerarii gubernii, directores oeconomiae et Praesides Magistratus Gubernii ab eodem Senatu confirmantur. Indices iudicij conscientiae, Medici in ruribus et Chirurgi a Summo Gubernatore constituantur.

Summus aerarii praefectus, Collegii camera- ralis commendatione praefectos aerarii in Circulis creat; Collegium decempedatorum decempedatores in Circulis confirmat. Nobiles sententias et qui- dem pilis colligendo Praesides Nobilium, Assessores in foro rustico superiori, et in iudicio con- scientiae omnes iudices circulares, praefectos cir- culares, omnes denique Assessores eosque Nobiles iudicij circuli iudicisque rustici inferioris creant. Electio omni triennio fieri solet.

Oppidani quoque pilis Caput ciuium, Con- sules, Senatores in tres annos, seniores autem et indices, qui summatim iudicant in unum annum eligunt. Assessores in Magistratu Gubernii inque iudicio conscientiae etiam ab oppidanis in tres annos, eliguntur.

Iudi-

Judicia, quae §. 27. recensuimus, sedem suam  
in oppidis circulorum habent, quae autem §. 28.  
exposuimus tribunalia et fora in urbibus guber-  
niorum resident.

Omnis indices omnesque ministri etiam ii,  
qui a Nobilibus et oppidanis eliguntur, ab Impe-  
rante mercedem accipiunt, quae si minima est,  
ducentorum tamen et quinquaginta rubelorum est,  
ut itaque honeste vitam degere possint, quia in  
omnibus hisce oppidis omnes vietus vilis pretii  
sunt. Nemo autem iudicium gratificationes acci-  
pere debet, quo iniustia sine omnibus donis vigeat,  
charta publice signata excepta, pro qua secundum  
novum mandatum soluendum est. Quoniam in gu-  
bernio hodie ultra 350 homines inueniuntur, qui  
mercede fruuntur, ad quos sustinendos in genere  
circa centum et quinquaginta millia rubelorum  
requiruntur, quae ex Gubernii aerario definiun-  
tur. Hominibus ciuilibus exceptis quoniam in gu-  
bernio adhuc trecenti milites sunt ab exercitu de-  
missi. Per omnia tribunalia fora atque oppida  
circulorum diuisi obsequio mandatis iudicium pae-  
stanto inferunt; iidem pari modo ab Imperatrice  
mercede instruuntur. Procuratores, qui in tri-  
bunalibus guberniorum sunt, atque aduocati, qui  
in omnibus iudiciis etiam in circulis inueniuntur,  
nil agunt, nisi, ut legibus pareatur, curant, de-  
licitaque monitis prohibent.

§. 30.

Restat adhuc, ut et pauca de summis Imperii  
Collegiis dicamus. Senatus, cui omnia tribunalia  
ciuilia subiecta sunt, quique ultimum refugium est  
in causis grauioribus, in sex curias diuisus est;  
quarum singulae sex Senatoribus et uno aut duo-  
bus

bus Procuratoribus constant. Ad omnes sex curias Summo Gubernatori aditus patet, quia ipsius Imperantis nomine curare debet, ut omnes leges obseruentur. Quatuor Curiae Senatus Petropoli, duae Moscuae resident. Senatui Collegium summum decempedatorum adhuc adiundum est, quod omnium oppidorum, rurum praediorumque, quae in Rossia Europa sita sunt, limites specialiter et topographice delineavit, et gratis quidem possessoribus descriptam formulam exhibuit; hoc etiam nunc in Rossia Astatica sit ita ut magnus decempedatorum numerus in hac re perficienda occupatus sit; sub hoc collegio omnes decempedatores in guberniis circulisque sunt; iidem tabulas geographicas omnium oppidorum et praediorum Imperii conseruant; si forum aliquod aut quisquis priuatus casu aliquo tabulum amisit hic descriptam recuperare potest. Non possum silentio praeterire, quod hoc Collegium decempedatorum prorsus singulare sit, quum apud Europaeos nullo in regno adhucdum eiusmodi instituta reperta sint.

Praeterea multa adhuc Collegia Imperii subsunt, veluti bellicum, marinum, negotiatorium, metallurgicum, medicum et multa alia, quorum nomina singulorum officia iam indicant. Sub nullo foro sunt, sed immediate ad Imperatricem pertinent.


Halle, Diss., 1786/87



Sb.

vdB





DE DIVERSIS 1786 9  
**IMPERII ROSSICI**  
ORDINIBVS

IVRIBVS ATQVE OBLIGATIONIBVS

NEC NON

DE DIVERSIS FORIS COMPETENTIBVS

A decorative horizontal flourish consisting of two thin lines meeting at a central floral or leaf-like motif.

DISSERTATIO

QVAM PRO OBTINENDO

# DOCTORATV IVRIDICO

**EXHIBVIT**

JOHANNES PVRGOLD

MAGDEBURGICVS

HALAE,  
EX OFFICINA GEBÄVERIANA  
CICID CCLXXXVI.

